Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

47-1
8°
LN 1115
ex. 3
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
L. N. 1115.
Kay Hoeg: ebs.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

DE LITERIS
LIBRI DUO.

Qvorum

Priore Nativa pronunciatio aſſeritur:
Poſteriore Sophiſtica confutatur.

Avtore
JACOBO MATTHIĘ
Arhuſienſi.



BASILEÆ
Per CONRADUM VVALDKIRCH
ad Lecythum Perneam.
CIƆ IƆ XIVC.

IV

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

M
M
GE
ſapie
tute
Taa
vegi
Et A
va



oper
lavda
ſapie
tura:
corp
Qvan

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Høegs Samling
1970

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

MAGNIFICO DO-
MINO, SPLENDORE
GENERIS, ERUDITIONE,
*ſapientia, pietate, humanitate, & omni vir-
tute ornatiſſimo*, NICOLAO KAAS *de
Taarupgaard, Sereniſſimi Daniæ & Nor-
vegiæ Regis*, FRIDERICI II. *Cancellario:
Et Academiæ Regiæ, quæ eſt Hafniæ, Conſer-
vatori ſupremo, Domino & Patrono
ſuo, ſumma ſemper obſer-
vantia colendo*
S. D.

IDEO conditi ſunt homines à Deo: ut eſſent operum divinorũ ſpectatores: ut conſpecta Dei immenſa ſapientia & potentia, quæ in operibus ejjus relucet: eum perpetuò laudarent & celebrarent. Dei autem ſapientia, cum paſſim in tota rerum natura: tum in primis in homine ipſo, & corporis humani fabrica conſpicitur. Quam ſapientiam doctrina phyſica, in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſcholis, inter alia, explicat: Et ad providentiam Dei aſſerendam breviter & eleganter Cicero de Natura Deorum lib. 2. Et Lactantius de opificio Dei: Ad uſum avtem medicinę: & admirationem & lavdem Dei opificis, copioſiſſimè Galenus libris ſeptemdecim, de uſu partium corporis humani, explicavit. Qvam explicationem ipſe libro poſtremo, perfectiſſimę Theologię verum principium appellat. Qvę Theologia multo majjor & prętantior ſit tota medicina: Et Deo multis hecatombis gratior: & eundem librum, qvo reliqvos clavdit, ἐπῳδὸν appellat, id eſt, carmen qvod ſtantes ante aras Deorum canebant, hymnis Deos celebrantes. In homine avtem, cum alia multa, digna conſideratione & admiratione ſunt: tum in primis artificium Dei & naturę, qvod in ore humano, ſermonem, literarum ſonos, & elementa ſermonis, mira arte, formante apparet. Qvod artificium qvamvis anguſto loco, pavcis & parvis oris particulis & ſonis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

nis, continetur: tamen non ideo contemnendum avt negligendum eſt: ſed vel eo magis conſiderandum & ſuſpiciendum eſt. Nam in parvis ſępe rebus, plus eſt artis, qvam in magnis.

Plinius lib. 7. cap 21. cum de viſu agit. Oculorum, inqvit, acies vel maximè fidem excedentia, invenit exempla. In nuce incluſam Iliada Homeri, carmen in membrana ſcriptum, tradidit Cicero. Callicrates ex ebore, formicas & alia tam parva animalia fecit: ut partes eorum, à cæteris cerni non poſſent. Myrmicides qvidam qvadrigam ex ebore fabricavit, qvam muſca integeret alis. Et navem, qvam apicula penitus abſconderet. Hęc Plinius. Qvis hęc legens, non miretur opificis acumen, & operis ſubtilitatem?

Galenus de uſu partiũ lib. 17. Qvanto, inqvit, animal minus fuerit, tanto majjorem tibi admirationem excitabit. Qvod declarant opifices, cum in parvis corporibus aliqvid inſculpunt. Cujjus generis eſt, qvod nuper qvidam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

in annulo Phaëtonta, qvatuor eqvis invectum, ſculpſit. Qvi omnes frenũ, os & dentes anteriores habebant, & pedes ſedecim mirè articulatos, qvę conſpici non poterant, niſi ad claram lucẽ, & ab iis, qvi acie oculorum maximè valerent. Et tamen in horum eqvorum cruribus nihil erat pręſtantius crure pulicis. Nam pręterqvam, qvod ars toti cruri pulicis ineſt: dum ipſe vivit, alitur atqve avgetur: majjor adhuc alia qvędam videtur artis ejjus, qvi pulicem condidit, vis atq; ſapientia: Qvod ipſum nullo labore formet, nutriat & avgeat. Cum avtem ars tanta in tam abjectis animalibus appareat, qvę dixerit aliqvis acceſſionis vice, ab opifice fuiſſe facta: Qvantam ejjus vim ac ſapientiam, in pręſtantioribus ineſſe putabimus? Hęc Galenus.

Qvod ſi ergo is in cruribus eqvorum Phaëtontis, in annulo ſculpti, artificis miratur acumen: ſi in crure pulicis, artem & ſapiẽtiam Dei apparere, & conſiderandam eſſe exiſtimat: Qvanto magis

gis in his parvis oris humani partibus & ſonis,id fieri poteſt & debet? In qvibus multò plus eſt in receſſu: qvam in fronte promittitur.

Qvintilianus lib.1.cap.5.Ne qvis,inqvit,tanqvam parva faſtidiat Grammatices elementa. Qvia interiora velut ſacri hujjus adeuntibus apparebit multarum rerum ſubtilitas,qvę non modo acuere ingenia puerilia: ſed exercere altiſſimam qvoq; eruditionem & ſcientiam poſſit. An cujjuſvis avris eſt exigere literarum ſonos? Non herclè magis,qvam nervorum. Hęc ille.

An non,inter alia,prodigii ſimile eſt: ex tam pavcis oris humani ſonis, qvos duę pręcipue oris particulę mobiles, lingva & labium inferius formant, & inter ſe miſcent: tantam ſermonis humani & lingvarum per orbem univerſum, varietatem exiſtere?

Deinde rei parvę uſus, ſępè maximus eſt, & latiſſimè patet. Propter qvẽ ejjus conſideratio & explicatio accurata eſt neceſſaria. Omnium enim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

rerum magnarum principia ferè parva
ſunt, ut in ſeminibus videmus. Princi-
piorum avtem ad rei conſtitutionem,
maxima in utramqve partem vis & ef-
ficatia eſt. Nam ſi qvid in ipſis vicii eſt:
id in rei conſtitutione, latiſſimè propa-
gatur. Unde ſapientiſſimè à Platone in
Cratylo dictum eſt: De omni principio
multum ſermonis fieri debere. Qvam
latè avtem pateat literarum uſus: ne-
mo ſapiens ignorare poteſt. Sunt enim
literę locutionis & ſcriptionis elemen
ta. Ac proinde, qvàm latè patet locutio
nis & ſcriptionis uſus, tam latè etiam
literarum. Locutio avtem, qva Deus
hominem pręcipue ornavit & à cęteris
animalibus etiam diſtinxit: qvoniam
animi humani, interpres eſt, pręcipuũ
eſt ſocietatis humanę vinculum: & ma
ximorum in vita operum cavſa, doctri-
nę omnis ſeminarium, ut ait Plato in
Cratylo: & Dei lavdandi & celebran-
di inſtrumentum.

Scriptio avtem ſermonis vices gerit:
& primũ mutuum qvoddam inter ab-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſentes etiam ſurdos, de rebus neceſſariis colloqvium eſt. De qvo pulcrum Aenigma apud Athenęum extat lib. 10. cap. 17. Qvod Sappho Poëtrię tribuitur: & ſic habet:

Fęmina natura eſt, ſinibus qvę pignora
ſervat.
Qvę ſunt muta, tamen mittunt trans
ęqvora vocem
Ventoſa, & vaſtas terras mortalibus: illa
Vult qvibus: his avdire licetq; abſentibus:
avres
Obtuſas habeant qvamvis avdire nec
aptas.

Qvod Aenigma Sappho ipſa
ita ſolvit:

Epiſtola eſt natura primum fęmina.
Sunt filii, qvos illa geſtat, literę.
Mutęq; ſunt. Loqvuntur aſt abſentibus
Qvibus cupit. Propinqvus alter accidat
Si qvis legenti: nil profecto is avdiet.

Atqve hoc mutum colloqvium, qvod fit notis & ſignis in charta depictis, Novi orbis ut vocant, homines, literarum imperiti, in Hiſpanis & aliis noſtri or-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

bis hominibus, maximè admirari dicuntur.

Deinde ſcriptio memoriç prçſidium eſt, & doctrinç omnis theſavrus. Qvo theſavro doctrina omnis divina & humana, qvç nunc extat, ab initio mundi ad nos uſqve conſervata, & propagata eſt: inter maximas generis humani clades. Unde Pſal. 102. de doctrina cçleſti dicitur: ſcribantur hçc pro poſteris: ut illi legãt, & Deum lavdent & celebrẽt.

Hujjus ergo theſavri beneficio, Deũ ipſum, fundamẽta mundi molientem: mundum & homines cõdentem: cum Adamo in Paradiſo, & deinceps cum patribus, variis locis colloqventem: Chriſtum in Eccleſia olim docentem & miracula edentem: Apoſtolos, & qvi eos ſecuti ſunt, docentes: Reges & principes urbes condentes, leges ferentes, judicia exercentes, & bella gerentes: Oratores in foro dicentes: Juriſconſultos leges interpretantes, & de jure reſpondentes: Medicos, morbos, & morborum remedia obſervantes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tes,& ęgros curantes: Philoſophos in ſcholis diſſerentes:Poëtas carmina recitantes,videre penè,atq; avdire licet: & cum ipſis,qvoties libet,colloqvi.

Poſtremò ſcriptio contractus obligationis & fidei inter homines mutuę, ſolenne documentum & inſtrumẽtum eſt. Qvo,pacta,fędera, acta publica & privata conſignantur, confirmantur & conſervantur.

Cum igitur tam latè pateat literarum in vita uſus: qvis eas accurata explicatione indignas exiſtimet?

Sapientes omnes dant operam,ſummamqve curam & ſtudium adhibent, ut rectè,proprie & accurate loqvantur & ſcribant.Cur non etiam in ipſis locutionis & ſcriptionis elementis, accuratio adhibenda eſt? ſine qvibus rectè loqvi & ſcribere nemo poteſt.

Atq; hac de cavſa nõ tantum Grammatici & Philoſophi: ſed etiam oratores & principes, hanc curam non indignam ſuo ingenio judicarunt: de literis enim diſſeruerunt,ut alios nunc ta-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ceam: Plato in Cratylo, Ariſtoteles de poëtica & animalibus: Cicero de Oratore: Qvintilianus in Inſtitutionibus. Meſſala Corvinus librum integrum de S litera ſcripſit, ut eſt apud Fabium libro primo.

Svetonius de Clavdio Cęſare cap. 41. Novas, inqvit, etiam commentus eſt literas tres. Ac numero veterum, qvaſi maximè neceſſarias, addidit. De qvarum ratione, cum privatus adhuc, volumen edidiſſet: mox princeps, non difficulter obtinuit: ut in uſu qvoqve promiſcuo eſſent. Extat talis ſcriptura, in pleriſqve libris, ac diurnis titulisqve operum.

Recens avtem, pręter alios, duo magni nominis & judicii viri: hanc etiam materiam tractarunt. Jovianus Pontanus, de aſpiratione libris duobus: & Eraſmus Roterodamus, de pronunciatione.

Hi ergo & alii, viri principes, & majorum gentium ſcriptores, oſtendunt doctrinam literarum non eſſe, ut vilem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

avt puerilem contemnendam avt negligendam. Sed accuratè potius tractandam & explicandam.

Ut avtem ego de hac re diligentius aliqvando cogitarem: pręter alia, hę cavſę fuêre. Primum lingvę Latinę & Gręcę profeſſio, qva ante annos aliqvot, in hac ſchola functus ſum. Deinde ſtudium qvoddam privatum, eodē tempore à me ſuſceptum. Qvo lingvę ſanctę Grammaticam, brevem & facilem, & ad Grammaticę Latinę & Gręcę formam accommodatam, ad uſum meum, & memorię infirmę ſubſidium, deſcribere conatus ſum.

Ea enim occaſione pręcepta omnia earum trium lingvarum, Grammatica, cum alia, tum etiam de líteris, diligentius expendere, & inter ſe conferre coactus ſum. Unde animadverti vulgarem literarum doctrinam, hominum magis arbitrio qvam naturę pręſcripto inſtitutam eſſe. Diphthongi etiam doctrinam, in lingva Gręca & Latina, inventum & placitum hominum, potius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

qvam naturę dogma eſſe.

Animadverti etiam tum ad literas ipſas, tũ ad lingvas omnes, rectè & facilè diſcendas, magnopere utile & neceſſarium eſſe: ut doctrina aliqva literarũ, omnibus lingvis communis extaret. Eam avtem nullam veram & conſtantem, eſſe poſſe: niſi ex ipſa natura, omnibus hominibus & gentibus communi, deſcribatur.

Ejjus igitur cognoſcendę deſiderio & cupiditate magnopere incenſus & inflammatus ſum. Verum cùm nuſqvã eam integrè explicatam eſſe viderem: qvę qvidẽ mihi, & propoſito meo ſatiſfaceret: de ea qvęrẽda, & inveſtiganda diligẽter cogitare cępi: ſed hîc res mihi diu inter ſpem & deſperationem hęſit.

Tandem aliqvid tentandum & fortunam periclitandam ratus: primũ bonos avtores omnes, qvos de literis aliqvid ſcripſiſſe ſcirem, avt ſcire poſſem, qvoſq; habere poſſem: adii & evolvi. Et in iis qvicqvid occurrebat, qvod ad rem pertinere videretur, notavi. Deinde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

de ad naturam ipſam obſervãdam me contuli. Et obſervata cum annotatis, qva potui diligentia, contuli.

Hîc avtem qvoties, avtorum monita qvaſi veſtigia, non apparuerunt, avt à naturę via recedere viſa ſunt: ad naturam ipſam reſpiciens, ipſe mihi viam aperire & munire conatus ſum. Ad qvod avdendũ, pręter alia, illud Senecę graviſſimi avtoris conſilium, animum mihi addidit. Qvi epiſtola 33. Qvid, inqvit, egóne ibo per priorum veſtigia? Ego vero utar veteri via. ſed ſi potiorem plenioremqve invenero, hanc muniam. Qvi ante nos, iſta monuerunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnib. veritas. Nondũ eſt occupata. Multum ex illa, futuris etiam relictum eſt.

In hac ergo conſideratione tam diu verſatus ſum, donec naturę artificium qvo literę formantur, qvoad fieri poſſet, & cavſas naturales literarum omnium, generales & ſpeciales, & earum ordinem naturalem, intelligere mihi viderer.

Hoc ergo naturę artificium, hoc ſcripto explicare, & inde veram, nativam perſpicuam, facilem & omnibus lingvis communem, literarum doctrinam deſcribere & publicè proponere ſtudui. Ut ſi res minus à me accuratè obſervata & explicata eſſet: ab aliis doctioribus diligentius conſiderari, & accuratius explicari poſſet. Ego qvidem qvod hoc tempore, hac in re, per ingenii & valetudinis tenuitatē, potui, feci.

Hunc avtem ſtudii noſtri laborem Tuę Magnificentię, magnifice Domine Cancellarie, inſcribere volui.

Tu enim primum, nobilitatem & ſplendorem Generis tui atq; familię, non ſolum virtute, pietate, humanitate & ſapientia atqve prudentia politica eximia: ſed etiam bonarum literarum ſtudiis ornare voluiſti. Ex qvibus eam doctrinę omnis, divinę & humanę cognitionem, pro excellenti tuo ingenio, collegiſti. Qvam omnes docti in te merito ſuſpiciunt & venerantur. Qvęqve te ad ampliſſimum Cancellariatus hono-

honorem evexit. In qvo munere ita verſaris: ut appareat verum eſſe, qvod eſt à Platone dictum: tum demum beatas fore Reſpublicas, cum avt Philoſophi eas gubernant, avt gubernatores philoſophantur.

Nec etiam in ſummis tuis occupationibus, excellentem illam, qvam aſſecutus es, doctrinam & eruditionem, perpetua librorũ omnis generis lectione, alere atqve avgere unqvam deſinis.

Deinde non ſolum te literę ornant: ſed tu eas viciſſim Tuę Magnificentię ſplendore, magnopere ornas, & magnum literarum decus & ornamentum es, illuſtri loco poſitum: & literatorum omnium in his terris, commune & publicum pręſidium atqve perfugium: Privatim avtẽ Academię noſtrę Conſervator atq; Patronus ſummus. Qvam Tuę avtoritatis clypeo tegis atqve defendis.

In hac avtem Academia, me etiam ſingulari favore & benevolentia complecteris. Cujjus tuę erga me benevo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

lentię arguměta havd obſcura extant. Ex qvo enim ad munus in hac ſchola docendi, accerſitus ſum: nullum mei avgendi & ornandi locum Tua Magnificentia prętermiſit. Qvo nomine Tuę Magnificentię perpetuā animi gratitudinem debeo, & qvo ad víxero, pręſtabo. Ejjusq; tuę erga me benevolentię, & meę viciſſim erga Tuam Magnificentiam obſervantię & gratitudinis, teſtimonium publicum hîc extare, volui.

Qvod ſupereſt: Deum toto pectore oro: ut Tuam Magnificentiam Reipub. Eccleſię, ordini & Academię noſtrę ſalvam & incolumem, qvàm diutiſſimè conſervet. Optimè valeat Tua Magnificentia. Hafnię 1. Avguſti, Anno Chriſti nati 1585.

Tuę Magnificentię
obſervantiſſimus

JACOBVS MATTHIĘ
Arhuſienſis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Qvintilianus lib. 1. cap. 5.

Ne qvis igitur tanqvam parva faſtidiat Grammatices elementa. Qvia interiora velut ſacri hujjus adeuntibus apparebit multarum rerum ſubtilitas. Qvę non modo acuere ingenia puerilia: ſed exercere altiſſimam qvoq; eruditionem & ſcientiam poſſit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

LIBER PRIMUS

De vera literarum doctrina.

DE LITERA.

LITERA *eſt minimus ſonus orationis humanæ. Quæ & Elementum dicitur: & litera etiã viva dici poteſt.*

Ariſtoteles in poëtica cap. 6. στοιχεῖον ἐστὶ φωνὴ ἀδιαίρετος, οὐ πᾶσα δέ, ἀλλ' ἐξ ἧς πέφυκε συνετὴ γίνεσθαι φωνή. καὶ γὰρ τῶν θηρίων εἰσὶν ἀδιαίρετοι φωναί. ὧν οὐδεμίαν λέγω στοιχεῖον. *Elementum eſt vox individua: non omnis autem, ſed ex qua vox intelligibilis fit. Etenim beſtiarum ſunt individuæ voces. Quarum nullam Elementum voco.*

Priſcianus etiam literam per vocem definit: Litera, inquit, eſt minima pars vocis compoſitæ. Et litera eſt vox, quæ ſcribi poteſt individua.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Litera viva, qvoniam naturalis eſt, & organis oris naturalibus formatur, apud omnes homines ferè eadem eſt. Niſi qvatenus natura & conſvetudo, gentium & hominũ ſingulorum, pronunciationem variet.

LITERAE ADjuncta.

Literæ adjuncta duo ſunt: figura & appellatio ſeu nomen. Priſcian. pag. 5. propter pronunciationem, & figuræ & nomina ſunt facta. Utrumqve autem adjunctum etiam litera & Elementum dicitur.

FIGURA.

Figura ergo, qvæ pingitur & ſcribitur: primum literæ adjunctum, ſymbolum & imago eſt. Auguſtinus de principiis Dialecticæ cap. 5. Litera ipſa cùm ſit pars minima vocis articulatæ: abutimur tamen hoc vocabulo, ut appellemus literam, etiã cùm ſcriptam videmus, qvamvis omnino tacita ſit: neq; ulla pars vocis, ſed ſignum partis vocis appareat. Qvæ qvoniam artificialis eſt, & ex hominum arbitrio pendet: non ſolùm pro gentium & lingvarũ variarum publica conſvetu-

ſvetu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſuetudine: Sed etiam pro ſingulorũ hominũ arbitrio interdum variat. Si qua autem figura, ad ſermonem rectè ſcribendum neceſſaria, in lingua aliqua deſideratur: de integro fieri poteſt & debet.

Ordo etiam exarandi literarum figuras in arbitrio hominum ſitus eſt. Unde Hebræi & alij à dextra in ſiniſtram: Græci & Latini contrà à ſiniſtra in dextram ſcribunt.

NOMEN.

Literæ adjunctum alterum eſt nomen & appellatio. Quæ etiam pro gentibus & linguis varia eſt. Latini enim literas ſuo tantum ſono exprimunt: ut a, be. Hebræi nominibus appellant: ut aleph, Beth. Sic & Græci: ut alpha, Betha. Quæ nomina Chaldaica ſunt ex Hebræis facta. Hæc autem nomina tum Hebræa, tum Chaldæa etiam Latinis literis accommodari poſſunt, cùm opus eſt: & econtra, Latina nomina Græcis & Hebræis literis. Pro novis etiam literis nova nomina excogitari poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

CAVSA LITERARUM Inventarum.

Literarum avtem obſervationem, inventionem & doctrinam neceſsitas peperit: Cùm enim non ſemper coràm colloqvendi eſſet facultas: & abſentibus ſæpè aliqvid ſignificandum eſſet: & poſterorum intereſſet, majjorum res geſtas & acta ſcire: neceſſariò qvæſitum eſt, qvo pacto ſermo in materia aliqva, qvæ aliò mitti & ad poſteros tranſmitti poſſet: figuris exprimi & conſignari poſſet.

RATIO INVENTIONIS Literarum.

Cvm avtem immenſa eſſet ſermonis humani varietas: ad qvam exprimendam figuris innumeris opus eſſet: ut ea varietas ad pavcitatem revocaretur: in illa vocis humanæ infinitate. Primùm ſingulæ qvædam voces notatæ & diſtinctæ ſunt: tum voces in ſuas partes, qvas ſyllabas appellamus, diviſæ ſunt. Syllabæ præterea in ſonos minores ſev minimos diſtributæ. Atqve hîc certus & exiguus primorum ſonorum in voce hu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ce humana numerus repertus eſt. Qvi certo deinde ſimpliciū figurarum numero expreſſus eſt. Qvibus poſtea nomina, docendi cavſa, indita ſunt. Atqve ita literarum Grammatica nata eſt: ut eſt apud Platonem in Philebo. Ut ergo litera viva, propter ſcriptā, qvæſita eſt: ita ſcripta propter vivam ſignificandam & exprimendam facta eſt. ut docet etiam Auguſtinus de ordine lib. 2. cap. 12. Atqve hanc Grammaticam literarum, vel à Deo monſtratam, vel ab homine qvodam divino, qualis apud Aegyptios Thevtus fuiſſe fertur, repertam eſſe, Plato in Philebo affirmat.

RATIO TRADENDAE doctrinæ Literarum.

VT autem omnis rei ſolida cognitio, ex cavſarum cognitione & explicatione pendet: ita & literarum. Qvare ut ea rectè explicetur & intelligatur: ex cavſis explicanda eſt. Deinde ad cavſarum explicationem ars & ordo accedere debet. Qvi ſimilia conjungit, & diſſimilia disjungit. Ordo enim & Methodus plurimum ad docendi diſ-

cendiq; facilitatem facit, & rei cujjusqve cognitionem & memoriam adjuvat & confirmat. οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον οὔτε καλὸν ὡς ἡ τάξις. *Nihil hominibus neqve utilius neqve præſtantius ordine, ait Xenophon in Oeconomico. Et Cicero de Oratore: Ordo eſt, qvi maximè lumen affert memoriæ.*

Hæc avtem utraqve & cavſa & ordo literarum, ex ipſa natura petenda ſunt. Doctrina enim omnis vera & ſolida, naturæ tantum obſervatio & deſcriptio, & qvaſi pictura eſt, & eſſe debet. Juvenalis Satyra decimaqvarta:

Nunqvam aliud natura, aliud ſapientia ſvadet.

Ut ergo doctrina literarum rectè inſtituatur: primum & præcipuè, de literis nativis agendum eſt: Eæqve ex cavſis naturalibus deſcribendæ ſunt. Et ad eas, figuræ & nomina accommodanda ſunt. Deinde ordo adhibendus eſt, qvem natura monſtrare videtur.

Literas avtem hoc modo tradendas eſſe etiam veteres judicarunt & monuerunt: Plato in Cratylo & Theæteto, brevius quidem, ſed rem tamen digito qvaſi indicavit.

Ariſtoteles, in poëtica & de animalibus, plenius pavlò expoſuit. Inter Grammaticos, Terentianus Mavrus & Martianus Capella, id ex propoſito agere conati ſunt. Grammatici etiam Hebræi hîc laborarunt. Noſtra avtem memoria Petrus Ramus, Philoſophus excellens & multarum rerum diligens inveſtigator: propius ad rem acceſſit.

Nos igitur Platonis, Ariſtotelis & aliorum veſtigia ſeqventes, doctrinæ literarum, ex natura ipſa, explicationem aggrediemur. Et qvæ in ipſis avtoribus latent, minus vulgo obſervata, eruere & in lucem proferre: & ſi qvid in ipſis deſiderari videbitur, ex ipſa naturæ obſervatione, explere conabimur.

USUS DOCTRINAE Literarum rectè traditæ.

D*Octrina avtem literarum hoc modo tradita, qvoniam natùralis eſt, & facilè diſcitur & tenaciter hæret. Doctrina enim cum natura congruens & conſentiens, ab ipſa natura qvaſi arripitur, & mordicus retinetur.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Deinde in ipſis literis, qvid commune, qvid proprium ſit oſtendit, & veram literarum originem, pronunciationem, ſcriptionem, ordinem, & numerum explicat.

Tertio, literarum cognationem & affinitatem: & qvæ inde aliqvo modo pendet, literarum affinium & cognatarum inter ſe permutationem, in vocum compoſitione & derivatione, in declinatione & conjugatione, & reliqvis derivationis ſpeciebus, docet. Qvintilianus libro 1. cap. 5. Diſcat, inqvit, puer, qvid in literis proprium, qvid commune, qvæ cum qvibus cognatio. Nec miretur cur è ſcamno fiat ſcabellū, avt à pinna qvod eſt acutum, ſecuris utrinqve habens aciem, bipennis.

Præterea, qvoniam omnibus lingvis hæc doctrina communis eſt, qvid lingvæ ſingulæ in literis commune, qvid proprium habeant, oſtendit. Et plurimum ad lingvarum variarum literas, & lingvas etiam ipſas, facilius diſcendas, confert.

Poſtremo hæc eadem literarum doctrina rectè tradita, etiam Methodi Logicæ illuſtre exemplum eſt. Qvod etiam à pueris intelligi, & unam cum ipſis literarum elementis, havri-

havriri poteſt. ut docet Plato in Philebo & Cratylo.

CAVSA EFFICIENS naturalis literæ.

CAuſam efficientem literarum appellamus partem corporis, & organon corporeum: qvo ratio in homine, ad literas formandas utitur. Ea ergo duplex eſt: Remota & Propinqva.

CAVSA REMOTA Guttur.

REmota eſt Guttur. Guttur enim vocem format, qvæ literæ materia & ſubjectū eſt. Vox avtem eſt ſonus aëris, qvi in gutture continetur, qvi impetu gutturis impulſus ſonat. Guttur enim dum ſe impetu qvodam contrahit, aërem incluſum pellit, & vocem edit. Ariſtoteles de anima lib.2.cap.8. vox, inqvit, eſt ictus aëris, non reſpirati, ut tuſſis, ſed ejjus aëris, qvi in arteria eſt, cujjus fit cum arteria ipſa conflictus. Qvod ex eo ſcire licet, qvod fieri neqveat, ut vocem mittat is, qvi ducit avt edit ſpiritum: Sed is modo,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

qvi retinet. Etenim cum retinendo movet.

Guttur ergo ſpiritum & vocem ori, ad literas, qvaſi varios ſonos, formandas, ſuppeditat. Non aliter atqve ciſta ventoſa in organo, aërem ex follibus hauſtum, fiſtulis ſuppeditat.

CAVSA PROPINQVA OS.

PRopinqva literarum cauſa eſt, qvæ in ipſa voce, qvaſi in cera, varias literarum figuras format. Eſtq́ tum os ipſum, tum qvælibet pars oris. Os enim vocem ex gutture hauſtam, in literas format & mutat. Utqve fiſtula canendi organon artificiale eſt: Ita os loqvendi organon naturale eſt. Utqve fiſtula ore humano inflata, ſonat qvod vult homo: Ita os gutture inflatum, loqvitur qvod ratio vel affectus dictat.

Ariſtoteles de partibus animalium lib. 3. cap. 1. Natura, inqvit, partibus communibus ad multa officia utitur. Sic oris qvoqve officium varium eſt. Pluribus animalibus communia officia ſunt, cibum conficere, ſpirare, & præſidium atq́ defenſio: Homini autem proprium loqvi. Unde & homini os compreſ-

ſius

ſius datum eſt: tum cibi conficiendi, tum ſpirandi, tum loqvendi gratia.

CAVSA OS ADJUvans naſus.

ORi additus eſt & impoſitus naſus, non ſolum olfaciendi, qvod ei proprium eſt, avt ſpirandi, qvod ei cum ore commune eſt: Ne os ſemper, trahendi ſpiritus cavſa deformiter pateret: Sed etiam loqvendi gratia. Literæ enim & ſermo, etiã naribus reſonant. Unde & ii, qvibus nares minus natura patent, qvaſi per nares loqvi videntur. Qvibus avtem nares pituita, è capite defluente, oppletæ & obſtructæ ſunt: iis vox obtuſior & obſcurior eſt. Galenus de fœtus formatione: Qvi de literis, inqvit, ſcripsêre, affirmãt ſpiritum, qvi è gutture aſcendit, interdum ad narium foramina pervenire: interdum aperto ore efflari. Atq; cum modo copioſum & univerſum: modo pavcum ac pavlatim exire.

PARS ORIS.

PArs etiam qvælibet oris, cavſa literæ eſt, & dici poteſt. Cùm enim ſermo, animi interpres eſſe deberet. Ac proinde literis qvaſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

articulis: et ſonis variis diſtingvi: Natura ſingulis oris partibus ſuum hac in re officiũ aſsignavit: & ſingulis formã aptam & idoneã, ad eam rem, dedit. Ariſtoteles de poëtica, partes etiam τόπους id loca appellat. γράμματα, inquit, διαφέρει σχήμασι τοῦ στόματος καὶ τόποις, Literæ differunt figuris oris & locis.

PARS MOBILIS.

PArs oris duplex eſt: Mobilis & fixa. Mobilis figuram oris variam efficit, & certo motu & ſitu, literas format. Et præcipuam in literis formandis vim habet. Et pars ſeu organon agens dici poteſt.

MAXILLA INFErior.

EA duplex eſt: Majjor & Minor. Majjor eſt maxilla inferior, quæ rictum oris diducere & contrahere: & quaſi fiſtulam oris majjorem & minorem reddere poteſt.

LINGVA.

MInor magis etiam figuram oris variat, Eſtq́ lingva avt labia. De lingva Ariſtoteles

ſtoteles de partibus animalium lib. 2. cap. 17. Homo, inqvit, lingvam ſolutam, mollem, & latam præcipuè habet. ut cōmoda ad utrumque officium ſit: hoc eſt, & ad ſapores percipiendos: & literas exprimendas. Ad literarum enim διάρθρωσιν explanationem, & ad ſermonem, lingva ſoluta, mollis, & lata accommodatior eſt. Qvippe qvæ variè contrahi & extendi poſſit. Patet hoc in iis, in qvibus non eſt ſatis ſoluta & libera. Illi enim blæſi balbi, & torti fiunt. Qvod vitium literarum defectus eſt. Et aves, qvæ literas proferre maximè poſſunt, lingva ſunt latiore qvam cæteræ. Et de animo lib. 2. cap 8. Lingvæ uſus, duorum munerum cavſa datus eſt: guſtatus atq; ſermonis: Lingvæ motum, literas formantem, Ariſtoteles προβολὴν appellat.

LABIA.

DE labiis, Ariſtoteles lib. 2. de partibus animalium, cap. 16. Homini, inqvit, mollia carnoſa, & qvæ ſeparari poſſunt, labia, data ſunt: tum dentium tuendorum gratia: tum potiori de cavſa. Nam ad loqvendi facultatem, hæc qvoqve faciunt. ut enim lin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

gvam ad duplicem acutionem idoneam: ſic labra & ſermonis & dentium tuendorum cavſa, natura adhibuit. Et idem labiorum motum συμπλοκὴν conjunctionem appellat. Labiorum avtem inferius præcipuè, mobile eſt, & literas format.

LINGVÆ ET LABIORUM Motus alternus.

HAe avtem duæ partes mobiles, lingva et labia, mira lege & arte, in literis formandis, alternatim moventur & qvieſcunt. Cùm enim lingva, in literis formandis, movetur & laborat: labia ferè quieta hiant. Cùm autem labia contrà, in literis formandis, moventur & contrahuntur: lingva minus atq; obſcurius movetur, avt ferè qvieſcit. Qvod diligenter obſervandum eſt.

Atqve hinc Ariſtoteles, ex his duabus partibus: earumqve motu alterno, literas diſtingvit: De partibus animalium libro 2. cap. 16. Qvod ſi lingva talis, & labra lubrica atqve agilia non eſſent: maxima literarum pars exprimi non poſſet. τὰ μὲν γὰρ τῆς γλώττης εἰσὶ προσβολαί: τὰ δ' συμβολαὶ τῶν χειλῶν.

χειλῶν. Aliæ enim literæ, lingvæ ſunt προβολαὶ, productiones: aliæ labiorum συμβολαὶ, conjunctiones.

PARS FIXA.

Pars fixa, in literis formandis, non tam agit, qvam patitur. Partis enim mobilis et ſpiritus ab ea impulſi, motum & impetum tantum excipit & cohibet: Et pars patiens & adjuvans dici poteſt.

MAXILLA SUPERIOR.

Estqve majjor & minor. Majjor eſt maxilla ſuperior, ea inferiori oppoſita, variè preſſum ejus excipit.

PALATUM.

Minor variis locis à mobili pellitur: Eſtq; palatum & dentes. Palatum teſtudinis inſtar, lingvam tegit: & ab ea variè preſſa & pulſa, literas format.

DENTES.

Dentes lingvam muri inſtar, circumvallant, & lingvæ mucroni opponuntur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Cujus motum & pulſum excipientes, literas formant. De dentibus Ariſtoteles, de partib. animal. lib. 3. cap. 1. Homo, inqvit, dentes tot & tales, potiſſimum locutionis gratia, ſortitus eſt. Ad literas avtem exprimendas, plurimum conferunt primi dentes. Hæc ille. Dentium avtem ſuperi, tum lingvæ, tum labio inferiori communes ſunt: & motum utriuſqve patiuntur.

DE CAVSIS LITERAE Teſtimonia.

ATqve hæ cavſæ literarum communes ſunt. Qvæ breviter & eleganter à Cicerone & Lactantio deſcriptæ & indicatæ ſunt.

Ciceronis.

Cicero de Natura Deorum lib. 2. Ad uſum avtem, inqvit, orationis, incredibile eſt, niſi diligenter attenderis, qvanta opera machinata natura ſit.

Primum enim à pulmonibus arteria uſq; ad os intimum pertinet. Per qvam vox principium à mente ducens, percipitur & funditur.

Deinde in ore ſita lingva eſt, finita dentibus.

bus. Ea vocem immoderate profuſam, fingit & terminat. Quæ ſonos vocis diſtinctos & preſſos efficit. Cum & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. Itaque plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere: cordarum dentes: nares cornibus his, qui ad nervos reſonant in cantibus. Hæc Cicero.

Lactantii.

Lactantius de opificio Dei cap. 10. Oris, inquit, ſpecies & rictus ex transverſo patefactus, quam utilis, quam decens ſit, enarrari non poteſt. Cujjus uſus in duobus conſtat officiis, ſumendi victus & eloquendi.

Lingua intus incluſa: quæ vocem motibus ſuis in verba diſcernit: & eſt interpres animi: Nec tamen ſola poteſt per ſe, loquendi munus implere: niſi acumen ſuum palato illiſerit: niſi adjuta vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum.

Dentes tamen plus conferunt ad loquendum. Nam & infantes, non ante incipiunt fari, quam dentes habuerint: & ſenes amiſſis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo eſſe videantur. Hæc Lactan. Hæ ergo cauſæ naturales literarum ſunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ORDO LITERArum Naturalis.

Ordo literarum naturalis hic eſſe videtur, ut à vocis origine, & partibus & locis oris interioribus, ad exteriora, & à ſuperioribus ad inferiora, progreſsio fiat. Atqve hactenus de litera in genere.

LITERAE DIVISIO & ſpecies.

Litera eſt duplex: vocalis & conſona. Hæc diviſio literæ, prima, vera, neceſſaria, & antiqva eſt: A Grammaticis & Philoſophis plerisq; propoſita. Plato in Philebo & Ariſtoteles in arte poëtica, vocalem nominat: ſed pro conſonante, ille qvidem mediam & mutam: hic verò ſemivocalem & mutā nominat. Terentianus hāc partitionē ſic proponit:

Elementa rudes quæ pueros docent magiſtri:
Vocalia quædam numerant, conſona qvædam.

DE VOCALI.

Vocalis eſt litera per ſe ſonans. Qvæ & Latinè ſonans dicta eſt. ut Diomed. lib. 2. ait. Græcè φωνῆεν. Terentianus ſic definit:

Hæc

Hęc reddere vocem, qvoniam valent
ſeorſa,
Nullumqve ſine illis potis eſt coire
verbum.

Hæc certa oris figura qvaſi fiſtula maximè formatur. Ariſtoteles de hiſtoria animalium lib. 4. cap. 9. τὰ φωνήεντα, inqvit, ἡ φωνὴ καὶ ὁ λάρυγξ ἀφίησι. vocales vox & guttur profert. Id avtem non ſatis eſt. Guttur enim & vox, cavſa communis, omniũ literarum eſt. Vox avtem è gutture emiſſa, niſi certa oris figura formetur, vocalis non fit.

Ariſtoteles de poëtica cap. 20. vocalem affirmat fieri ἄνευ προσβολῆς, ſine ictu. Qvod etiam verum videtur: ſi προσβολὴν, ictum & impetum vehementiorem intelligamus. Motus enim lingvæ & labii, in vocali formanda, lenior eſt.

Vocalis igitur ſimilis eſt ſono: qvem fiſtula foraminibus omnibus patentibus ſine digitorum applicatione & pulſu edit. Sed fiſtula formam & figuram, qvam ab artifice accepit, ſemper eandem retinet: Et proinde inflata unum & eundem ſemper ſonum edit. Os avtem variè figuram qvaſi fiſtulam mutat. Et nunc latam, nunc anguſtam, nunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

brevem, nunc longam efficit. Ac proinde varios etiam ſonos vocalis edit.

Et hi qvidem omnes qvantitate & accentu variant. Priſcianus pag. 3. Natura, inqvit, ſingulis vocalibus denos ſonos aut plures dare poteſt. Qvod explicat de qvantitate accentus & aſpirationis natura. Et de qvantitate & accentu verum eſt. Atqve hinc fit, qvod Hebræi vocales omnes geminas, longas & breves, figuris & nominibus diſtinctas habeant. In qvibus etiam ſoni qvædam diverſitas olim fortaſſe fuit. Græci tantum duas qvantitate diſtinctas habent: Latini nullas. De qvo Terentianus:

Cōpendia noſtri meliora crediderūt.
Una qvoniā ſat habitū notare forma.
Pro temporibus geminum qvę miniſtret uſum.

At magna commoditas eſſet, ſi vocales longæ & breves, vel figura, vel nota aliqva, & figuræ appendice, diſtingverentur, in lingvis omnibus: præſertim qvarum in loqvendo uſus familiaris eſt: ſicut ab Hebræis factum eſt.

VOCA-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

VOCALIS LINgvalis.

Vocalis eſt duplex: Lingvalis & labialis Lingvalis eſt, qvæ ore diducto, & labiis hiantibus, lingvæ ſitu formatur. Qvæ & ab oris figura, diducta, dici poteſt: ut A, E & I.

A

A magno rictu, lingva reducta & depreſſa fit: & ex imo ore prodiens, pleniſſimè ſonat. Ut extremus ſonus, in cantu cornicis Georgic. 1.

Tum cornix pluviam plena vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecũ ſpaciatur arena.

Terentianus operoſius ex triplici differentia ſic eam deſcribit:

A primum locum litera ſic ab ore ſumit:
Immunia rictu patulo tenere labra:
Lingvamq; neceſſe eſt, ita pendulam reduci,
Nec partib. ullis, aliqvos ferire dẽtes.

E & I fiunt rictu minore, media lingva ad palatum ſubducta: & extrema ad dentes inferiores porrecta.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

E

E Mediocri rictu, lingva media, ad medium palatum ſubducta, & nonnihil porrecta, qvaſi medio ore naſcens plenius ſonat. Ut Aeneid. 2.

Degeneremqve Neoptolemum narrare memento.

Terentianus ex duabus differentiis eam deſcribit: labri inferi mentione prætermiſſa.

E quę ſeqvitur, vocula diſſona priori:
Qvia deprimit altum modico tenore rictum.
Et remotos premit hinc & hinc molares.

Hujjus vocalis ſonus in plerisq; lingvis gemin⁹ eſt: tenuis & craſſus. Tenuis eſt, ut in vocib⁹ trej, tria. Vej ligna. Græcè figura ε exprimitur: Et ἔψιλον, id eſt, e tenue appellatur: & ſemper brevis eſt. Hujjus ſonum habēt ferè figuræ Latinæ ae & oe, ut hodie uſitate proferuntur: ætas, cælum, qvaſi etas, celum. Qvare & per e ſimplex ſcribi poſſent: ut hodie à multis ſcribitur, edo pro ædo, obedio pro obædio, felix pro fælix.

Craſſus eſt, qvi ut ſonus extremus in ovium balatu ſonat: ut in illo Cratini:

Fatuus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Fatuus velut ovis bę Bę dicēs, incedit.

Et à noſtris figura æ ſcribitur. ut in træ arbor, lignum. Væi via. Poſſet autem & ſic ſcribi ę. Græcè ſcribitur figura η, & ἦτα dicitur, & ſemp̄ lōga eſt. Quæ figura Palamedis dicitur.

Latini unicam figuram habent: ſed tamen utrumq́; ſonum habuerunt. Diomedes lib. 2. Vocales, inquit, ſunt numero quidem quinq́;, ſed poteſtate ſeptem. Nam e brevis eſt ſcriptura: pronunciatione autem longa: conticuére omnes. Hæc ille. Ergo primum & alterum e, hic ſonat ut η Græcum, & æ noſtrū. Cicero 3. de Oratore e pleniſsimum vocare videtur: de Cotta loquens: cujjus ruſticanam vocē affectabat Sulpitius: Quare Cotta noſter, ait, cujjus tu lata illa, Sulpiti, imitaris nōnunquam: ut Jota literam tollas: & e pleniſsimum dicas: non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videris imitari. Hodie etiam e craſſum ferè profertur in Latinis vocibus, ante S, R, L, N, C, G, & T aliquando: ut es, eſca, ter, terra, mel, tellus, en, nomen, halec, tectum, tegmen, flet, docet.

I

I minimo rictu, media lingua ad extremū palatū ſublata, ubi & naſci videtur, & ex-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

trema ad dentes inferos magis admota, ſupero labro renidet anguſtius, ut Ecloga 8.

Credimus? an qvi amant ipſi ſibi ſom
nia fingunt.

Terentianus duplici differentia eam deſcribit:

I porrigit ictum genuinos prope ad
ipſos.
Minimumqve renidet ſupero tenus
labello.

Hîc labri mentio fit, qvæ in proxima prætermiſſa fuit. Et hic rictus minimi, & lingvæ mediæ ad palatum extremum ſublatæ, differentia prætermiſſa eſt. Qvintilianus lib. 9. ait e pleniorem literam eſſe ~. I anguſtiorem.

Inter I & E affinitas eſt. Unde pro I, E tenue in vocibus Latinis olim ſcriptū eſt. Fab. lib. 1. cap. 5. Qvid? Non E qvoq; I loco fuit? ut Menerva & leber, & mageſter, p Minerva, liber, magiſter. Et cap. 12. Here & heri, ſibe & ſibi, qvaſe & qvaſi ſcriptum eſſe affirmat. Qvod idem Gellius lib. 10. cap. 14. Et Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 4. repetit. Et hinc duplices caſus illi ſunt, ut febrem & febrim, felice vel felici. Sic ae & oe, pro ai, & oi ſcriptum eſt. Fabius libro 1. cap. 12. Ai ſyllabam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

cujjus ſecundam, nunc e literam ponimus. Et Priſcianus pag.32.pro I,inqvit e in diphthongo accipimus. E qvoqve in I tranſit,ut miles militis,limes limitis,judex judicis,vindex vindicis.ut eſt apud Fabium lib.1.cap.9. vocalis lingvalis ſic eſt.

VOCALIS LABIALIS.

Vocalis labialis eſt,qvæ ore & labiis in orbem contractis & porrectis formatur. Qvæ & contracta dici poteſt. Hîc avtem etſi certus etiam eſt lingvæ ſitus: qvo ferè deprimitur: tamen qvoniam eum natura labiis contractis tegit: obſcurior eſt. Et ad eum rectè obſervandum vitreis & pellucidis clavſtris oris opus eſſet. Qvare eum doctrina deſcribere & proponere nec facile eſt, & nihil opus eſt. Natura enim indocta, ſua ſponte lingvam ad ſonum aptat. Qvare ſatis eſt,ex labiis vocalem labialem deſcribere. Hic avtem fiſtula qvaſi oris longior & anguſtior fit. Labialis ergo eſt,ut o,u,& y.

O

O pleniore orbe & ore rotundo,labiis pavlulum porrectis profertur. ut Aeneid.2.

Ultro Aſiam magno Pelopejja ad
mȩnia bello.

Hic ſonus in pleriſqve lingvis duplex eſt: nempe parvus & magnus. Parvus eſt, qvi à noſtris & Græcis, o figura ſcribitur, & Græcè ὄμικρον o parvum dicitur, & Græcis ſemper breve eſt, ut ord verbum, ὅλον totum. Magnum eſt, qvi à noſtris exprimitur figurá duplicis a, ut aa, in Aar annus, aar remus. A Gallis hîc ſcribitur ao vel au, vel duplex conſona poſt o, ut hoſte, hoſpes: A Græcis figura duplicis o, ut ω, qvod ὦ μέγα, o magnum dicitur, & ſemper longum eſt, ut ὅλως. Qvæ figura & in noſtram lingvam & alias aſſumi poſſet. Nam geminũ a parum rectè ſcribitur. Cum ſit geminum o. Hic ſonus boatus dici poſſet.

Terentianus Græcam differentiam hîc propoſuit brevis & longæ. Qvam in ſecunda vocali præteriit.

Parvam ſic deſcribit:

Igitur ſonitũ reddere cũ voles minori,
Retrorſ⁹ adactã modicè teneto lingvã
Rictu neqve magno, ſat erit patére la-
(bra.

Magnam ſic:

At longior alto tragicũ ſub oris antro
Molita rotundis acuit ſonum labellis.

ω *Ma-*

ω Magnum magnam verborum Græcorum partem terminat.

In lingva Latina, unica figura o parvi utrumq; ſonum complectitur: Diomed. lib. 2. O pro o, & ω Græcis, ſimiliter ponitur: ut rapti Ganymedis honores. Hæc ille. Primum ergo o in ultima voce, o parvum & breve eſt: alterum o magnum & longum.

In noſtra inſuper lingva & Germanica, tertia differentia & ſonus, ab utroq; diverſus eſt. Qvi à Germanis qvidem varie, à noſtris autem ferè exprimitur figura ø, ut hør linum, ør auris.

U & y fiunt orbe contractiore ◡, & labiis magis productis & prominentibus.

U

U mediocri orbe, labiis magis productis, formatur: ut Aeneid. 5.

Unum pro multis dabitur caput.

Sonus hujjus vocalis eſt extrema vox in cantu noctuæ. ut docet Plautus. Apud quem Menæchmo Peniculus reſpondet ita:

Me. Egon' dedi? Pe. tu tu inquam,
vin' afferri noctuam
Qvæ tu tu uſqve dicat tibi. Nam nos
jam, nos defeſſi ſumus.

Terentianus obſcurius hanc deſcribit:

Et ſola ſonum redderet ex ſua figura,
Productis avtem coëuntib. labellis.
Natura ſoni preſſior meabit.

Cum hac qvinta vocali Latina, ſono convenit figura Græca ȣ. Qvam illi diphthongũ appellant. ut docet Terentianus, cum ait:

Græca diphthongos ȣ, literis noſtris vacat:
Sola vocalis qvod u complet hunc ſatis ſonum.

Et Auſonius, de Laconibus, monoſyllabo negandi adverbio ȣ, regi negantibus:

Una eſt in noſtris: qva reſpondere Lacones,
Litera, & irato Regi placuere negantes.

Qvod ſi ergo in ȣ, ſonus ſimplex vocalis eſt: perperam diphthongus dicta eſt, & dicitur, aut u Latinum, etiam diphthongus erit.

Affinitas eſt inter o & u. Fab. lib. 1. cap. 5. Qvid o atq; u permutatæ invicem? ut Hecoba, notrix, culchides & pulyxena ſcriberentur. Ac ne in Græcis, id tantum notetur, dederont, ac probaveront. Sic ὀδυζεὺς, *quem* ὐδυζέα *fecerunt Aeoles, ad Uliſſem deductus eſt.*

eſt. Et cap. 9. u quoque in o tranſit, ut ebur eboris, robur roboris, marmur marmoris. Quod Antonius Gnipho Ciceronis præceptor cum eam affinitatem literarum non conſideraret: improbavit. Denique o, teſte Plinio apud Priſcianum, aliquot Italiæ civitates non habebant: ſed loco ejjus ponebant u maximè Umbri & Tuſci.

Atq; u contrà, teſte apud eundem Papyriano, multis Italiæ populis in uſu non erat, ſed utebantur o. Unde Romanorum quoque vetuſtiſsimi, in multis dictionibus ejjus loco, o poſuerunt: ut poblicum pro publicum, polcrum pro pulcrum, colpam pro culpam.

Y

Y minimo orbe ◡, labris maximè prominentibus, ſonat exilius, ut Georg. 3.

Paſtor ab Amphryſo, vos ſylvæ amneſq; lycæi.

Hunc ſonum in cantu cuculi audiri volunt: Quod & Ariſtophanes indicare videtur: cum in avibus ait: Quando coccyx dixerit κοκκῦ coccy, tum Phenices omnes, frumenta & hordea, in agris demetunt. At id parum convenire videtur. Niſi υ Græcum in κόκκυ pro u Latino accipias: aut cuculus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Græcus avt Syrius, aliter qvam noſter ſonuerit: Noſter enim cuculus non y, ſed u plenum ſonat: Sed y vocalis magis in cantu galli gallinacei cucurientis exprimi videtur.

Hic avtē ſonus in Latinis vocib. avt nullꝰ fuit, avt qvinta vocali expreſſus eſt. De qva re Terētianus, de tertia Græca ancipiti agēs:

Tertiam Romana lingva, qvam vocant y, non habet.
Hujjus in locum videtur u ſubdita.
Qvæ nobis vocem rependit interim vacantis y.
Qvando communem Latino reddit & Græco ſonum.

Figura y, in Græcis tantū vocibus, uſi ſunt Latini. Priſcian. pag. 5. Utimur etiam y Græcorum cavſa nominum. Figura avtem Latina ex Græca majjori facta eſt, cavda tantum incurvata. Figura avtem Græca Υ vel υ, à Palamede inventa, & ex volatu gruum facta dicitur. Martialis in Xeniis:

Turbabis verſus, nec litera tota volabit:
Unam ſuſtuleris ſi Palamedis avē.

Qvalis avtem figura ea eſſe debeat, Virgilius ex Philoſophia Pythagoræ Epigrammate eleganti declaravit.

Litera

Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bi-
corni,
Humanę vitę ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum tenet ardua
collem.
Difficilemq; aditum primum ſpectan-
tibus offert. (mo.
Sed reqviē præbet feſſis in vertice ſum-
Molle oſtentat iter via lata: ſed ultima
meta
Pręcipitat captos, volvitq; ꝑ ardua ſaxa.

Pingenda eſt ergo nō cornibus æqvalibus, & æqvaliter inflexis. ut Y: ſed cornibus inæqvalib. & diſsimilib⁹: Altero qvidē & dextro, anguſto, erecto & arduo: altero verò ſiniſtro nempe, lato, ꝓclivi, tandemq; ꝑcipiti, ut Y.

Græci minus commodè ὑψιλὸν *appellant. Nulla enim vocalis Græca eſt. A qva, per hoc Epitheton, diſtingvatur.*

Affinitas eſt inter u & y. Cicero in Oratore: Purrhum ait, ſemper Ennius, nuſqvā Pyrrhū, vi patefecerunt fruges, nō phryges, ipſius antiqvi declarant libri. Nec enim Græcā adhibebant literā. Nunc aūt etiam duas. Et cū phrygū & cū phrygibus dicendū eſſet. abſurdum erat, avt tātum barbaris caſibus Græcā

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

literam adhibere: avt recto caſu ſolum Græcè loqvi: Tamen & Phryges & Pyrrhum avrium cavſa dicimus. Atqve hactenus vocalis fuit.

DE CONSONANTE.

Conſonans eſt litera cum vocali ſonans. Qvæ ſitu & ictu partis mobilis in ore formatur. Qvæ pars interim dum vocalis prodit, ictum aliqvem edere poteſt: eoq; ictu novum ſonum vocali addere. Unde & conſonans majjore motu & ſtrepitu qvam vocalis, editur: & qvaſi litera compoſita eſt.

Eſtq; ſimilis ſono, qvi digito ad foramen fiſtulæ avt nervum pulſum atq; ſonantem, applicato, editur. Parsqve ipſa oris mobilis, hîc maximè digiti avt plectri ſimilis eſt. Pars avtem fixa cordæ.

Imo verò, ut vocalis animæ: ita conſona corpori ſimilis eſt. Priſcianus pag. 9. Multa eſt, inqvit differentia inter vocales & conſonantes. Tantum enim ferè intereſt inter vocales & conſonantes: qvantum inter animas & corpora. Animæ enim per ſe moventur, ut Philoſophis videtur, & corpora movent: Corpora verò nec per ſe ſine anima moveri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

moveri poſſunt: nec animas movent: ſed ab illis moventur. Vocales ſimiliter & per ſe moventur ad perficiendam ſyllabam: & conſonantes movent ſecum: conſonantes verò ſine vocalibus immobiles ſunt.

Plato in Theætheto, & Ariſtoteles de hiſtoria animalium lib.4.cap.9. Conſonantem ἄφωνον *mutam appellat. Qvod ſine vocali, ſonare neqveat. Ut ſonus ex fiſtulæ foramine minori, nullus edi poteſt: niſi fiſtula inſletur: & primo qvaſi ſono impleatur.*

Qvod avtem conſonans ictu fiat, Ariſtoteles docet de poëtica cap.20. Semivocalis, inqvit, & muta, id eſt, conſonans omnis μετὰ προσβολῆς *profertur.*

Atq; hîc narium majjor eſt uſus, qvam in vocali. Cum enim ictus hic partis mobilis, in conſonante proferenda, Spiritum interdum & vocem impediat, & qvaſi intrò repellat, nec libere exire patiatur: naſi foramina patentia ori impoſita, hic uſum permagnum habent. Illa enim vocem repercuſſam recipiũt, tranſmittunt, & ad avres avdientium perferunt. Unde & interdum tinniunt. Hæc vocis in nares reciprocatio, in aliis conſonantibus magis, in aliis minus ſentitur: ſi qvis,

dum eas profert, nares digitis comprimat.

Qvod Grammatici & Rhetores de ſono conſonantium qvarundam ſvaviori avt inſvaviori præcipiunt: id ut ocioſum & ſupervacaneũ prætereo. Nam & nimis ſubtile eſt, & ad conſonas rectè docendas & diſcendas nihil facit. Et omnes literæ ſermonis partes neceſſariæ ſunt. Et Latinæ, Græcæ & aliæ omnes, ſuis hominibus æqvè ſvaviter ſonuere olim & ſonant hodie.

Grammatici etiam de cõſonantium qvarundam ſono ſpecialiter præcipiunt. Eum videlicet pro vario loco dictionis, principio, medio & fine, varium eſſe. Nempe nunc clariorem & pleniorẽ, nunc exiliorem & obſcuriorem, nunc medium vel mediocrem. Sed ea etiam admonitio ſpecialis non eſt neceſſaria. Satis eſt ſemel de ea re generaliter monere. Etſi magis ad ſyllabæ dictionem ſpectet.

Sonus igitur conſonantis tribus de cavſis non nihil mutatur. Primum enim pro vocali, cui jungitur, plenius & tenuius ſonat. Sic cum a plenius ſonat conſonans, qvam cum I. Deinde pro loco, qvo cum vocali jungitur. Ante enim exilius ferè, poſt verò plenius ferè ſonat. Priſcianus pag. 13. Omnis litera plus ſo-

nat

nat ipſa ſeſe, cum poſtponitur, quam cum anteponitur. Poſtremo pro vario conſonantium cõcurſu. Quo enim plures cõcurrũt cõſonantes: eo magis vis & ſonus earum obſcuratur.

Quare ut conſonãtis cujuſq; ſonus rectius obſervetur, & ante vocalem, & poſt vocalẽ proferenda eſt. Atq; ita duplici nomine exprimẽda. Nam quod Latini alias poſt vocalem, ut es, er. Alias ante vocalem tantum, ut TE, De, proferunt. Id non ſatis ſonum & vim earum exprimit. Latini ad conſonantes proferendas, e vocalem ferè adhibent, id in omnibus ſequemur:.

Quæcunq; autẽ litera ante vocalẽ conſonans eſt: eadem & poſt vocalẽ conſonans eſt.

Conſonãtis effectus proprius eſt in metris poſitionem facere. Id eſt: vocalem præcedentem producere: ſi cum alia conſonante non liqueſcente jungatur. Liqueſcere autem dicitur conſonans, quæ conſonam aliam ſequens poſitionem non ſemper facit.

CONSONANS LINGVALIS.

Conſonãs autẽ, ut & vocalis duplex eſt: lingvalis et labialis. Ariſtot. de hiſt. ani-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

malium lib.4.cap.9. ἄφωνα, inqvit, ἡ γλῶττα καὶ χείλη ἀφίησι. Mutas, id eſt, conſonantes, lingva & labia proferunt. Sed id etiam vocalibus commune eſt.

Lingvalis ergo conſonans eſt, quæ ore & labris diductis, inſtar primarum vocalium lingvæ ſitu & ictu formatur. Unde & diducta dici poteſt. Pulſat autem lingva cum toto corpore, tum in primis mucrone. Et ſi motus lingvæ diligenter obſervetur: mucro præcipuè laborat: & nunc huc, nunc illuc migrãs, certa loca oris occupat & pulſat. Qvare ex ejus motu & pulſu, cõſonantis lingvalis cauſa & diſtinctio petenda eſt.

CONSONANS LINgvopalatina.

L*Ingvalis conſonans duplex eſt, palatina & dentalis. Hanc diſtinctionem etiam Galenus tradit, de fœtus formatione: Qvi de vocum, inqvit, elementis præcipiunt: Hactenus progrediuntur: ut affirment alias quidem voces ſeu literas fieri, lingva in palati cœlum: alias ad dentes ſectores impacta. Nam qvod ibi additur, vel aliorſum inflexa, ſupervacaneum eſt.*

Palati-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Palatina eſt, qvæ lingva breviori & concava, mucrone palatum feriente fit. Et lingvopalatina dici poteſt. Hîc lingva acumen ſuum palato illidit ait Lactantius. Et ſonos planè diverſos inter ſe format. Eſtq; duplex: Mobilis & fixa.

LINGVOPALATI-na Mobilis.

Mobilis eſt, qvæ mucrone ad palatum ſubducto, ſed pendente & mobili, formatur. Atq; hîc ſpiritus inter palatum & lingvam expreſſus, dentes adverſos fortius verberat. ut S & R.

S

S, E S vel S E, fit mucrone ſibilante, & rictu oris minore quam cæteræ lingvales. Ecloga prima:

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matri
bus hædos.

Plato in Theætheto: lingva inqvit, in σίγμα proferendo, qvaſi ſibilat. Et in Cratylo: In S proferendo ſpiritus vehemẽtior & concitatior eſt. Et Dionyſius συριγμὸν, ſibilum vel ſuſurrum vocat: Et Capella, S, inqvit, ſibilum facit, verberatis dentibus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Terentianus eam ſic deſcribit, cum de S & X agit:

Vicina qvædam ſibila dentibus repreſſis,
Miſcere vidētur: tamē ictus ut priori,
S promptus in ore eſt: agiturq; ponè dentes:
Sic lenis,& unum ciet avribus ſuſurrum.

Priſcianus lib.5. Hanc proximam vocalibus facit. Qvod ſeqvimur.

Latini olim S ſubinde geminabant. Qvintilianus lib 1.cap.12. Ciceronis,inqvit,temporibus, pavlumqve infrà, fere qvoties litera media vocalium longarum,vel ſubjecta longis eſſet: geminabatur,ut cavſſæ,caſſus,diviſſiones Qvomodo & ipſum & Vergilium qvoqve ſcripſiſſe, manus eorum docent. Atqvi pavlulum ſuperiores: etiam illud qvod nos gemina S dicimus juſſi, una dixerunt juſi.

Hic ſibilus in Græcis qvibuſdam vocibus, fortior ſcribitur initio, Græca charactere zeta, ut in zopyrus, zephyrus.

De S avtem, Corvinus Meſſala Orator,integrum librum ſcripſit,ut eſt apud Fabium. Dionyſius ait,odio ejjus literæ ὠδὰς ἀσίγμους

à veteribus factas. Unde & Pindarus Σὰν κίβδηλον appellavit. Et Latini veteres, Græcos imitati, in verſu elidebant S. Ut apud Ciceronem, de Natura Deor. lib. 2.

Torvu' Draco ſerpit, ſubter ſupraq; revolvens.

Et pavlò pòſt:

Magnu' leo, tremulam qvatiẽs è corpore flammam.

Sic in illo Virgilii Aeneid. 12. ut vult Priſcianus:

Inter ſe coiiſſe viro' & decernere fer(ro.

S, in Etymologia verborum Græcorum & Latinorũ, magnum uſum habet. Eſt enim ferè characteriſtica generalis, futuri quidẽ, in verbis Græcis: præteriti avtem in verbis Latinis, qvæ vulgo tertiæ cõjugationis dicũtur. Qvod tamẽ parum hactenus obſervatũ fuit.

Apud Hebræos, hæc litera, qvatuor figuras habet, & totidem nomina. Qvorum duo avt tria Græci aſſumpsêre. Sigma enim ex Samech Iõnes fecére, figura etiam ᴗ, inverſa ferè tantum σ vel ς. Ex Sin vel ſain, Dores Σὰν fecerunt. Herodotus lib. 1. Qvæcunq; apud Perſas nomina vel corpori vel magnificentiæ ſunt ſimilia: illa omnia in eadem ter-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

minantur litera: Qvam Dores San appellant: Iōnes ſigma. Ex ſadé avtem zeta factum videtur.

R

R, ER vel RE, fit mucrone tremente & ſuſurrante, ut Ennius:

Africa terribili tremit horrida terra
tumultu.

Plato, lingva inqvit, in R proferendo, minimè immoratur, ſed concitatur.

Terentianus de R ait:

Vibrat tremulis ictibus arídum ſonorem.

Qvidam irritati canis exemplum hic ſtatuunt: & ita Perſius accepit:

Sonat hic de nave canina,
Litera.

Ut ergo S ſerpentis, ſic R canis litera dici poteſt. Eſt & ſimilis ſuſurro, qvi in foliis arborum avditur. Ex qvo Vergilius ilicem argutam, pinusqve loqventes appellat. Qvem ſuſurrum & Avſonius expreſſit:

Eſt & arundineis modulatio muſica (ripis,
Atqve arguta ſuis loqvitur coma pinea ventis. (cutis.
Incubuit foliis qvoties levis Evrus a-

Hæc

Hæc à balbis, propter imbecillitatem lingvæ proferri non poteſt. Quo vitio Demoſthenes etiam laboravit.

Sin R propter cognationem facilè tranſit: Varro, ſexto de lingva Latina: caſmenarum, ait, priſcum vocabulum, ita natum atq; ſcriptum eſt. Alibi Carmenæ ab eadem origine ſunt declinatæ. Ut in multis verbis, in qvo antiqvi dicebant S, poſtea dicunt R. ut in carmine Saliorum ſunt hæc, coſavli, doloſi, Eſo. Omnia verò ad patula coëmiſſe, jam Cuſiatii, muſes, Ruſe. Dumq; Janus venet, poſt melios melior, fædeſum fæderum, pluſima plurima, aſena arena, janitos janitor.

Qvintilianus lib. 1. cap. 5. idem repetivit: Nam ut Valeſii, inqvit, & Fuſii, in Valerios Furioſqve venerunt: ita arbos, vapos, labos, etiam & clamos, ac paſſes, ætatis fuerunt.

Atq; etiam illæ commutationes, inde remanſerunt. verri verſum, cucurri curſum, uro uſſi, gero geſſi.

LINGVOPALATINA Fixa.

Fixa eſt, qvæ fit mucrone palatum tangente. Unde & vox in medio repercuſſa na-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ribus & labris extremis reſonat. Unde & clangor vel tinnitus dici poteſt, ut L & N.

L

L EL vel LE, interius palatum pulſat & tangit, ut Aeneid. 2.

Sibila lambebant lingvis.

Plato. Lingva, inqvit, in L proferendo, ὀλισθαίνει, prolabitur atq; impingit. Capella: L, inqvit, lingva palatoq; dulceſcit.

Qvintilianus lib. 1. cap. 18. R Literæ, qva Demoſthenes etiã laboravit, L ſuccedit. Hujus ſonus mollior eſt qvã R. Qvem lingva palato innitens, facile pronunciat. Unde fit, qvod balbi, L pro R dicant. Da puero balbo verſum hunc Martialis pronunciandum:

Rara coronato plavſere theatra Menandro.

Permutato R in L pronunciabit:

Lala colonato plavſele theatla Menandlo.

R in L mutatur, ut niger nigellus, umbra umbella. Priſcianus pagina vigeſima qvarta. Et contra L in R: ut tabula taberna. pag. 23. & in S: ut vello vulſi.

N

N, EN vel NE, exterius tangit, & magis tinnit. Aeneid. 3.

Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

Et Aeneid. 6.

Hís Phædran, Prochrinq; locis, mœſtamq; Eryphylan.

Litera N, ait Plato, imo ore pronunciatur. Spiritus enim in guttur, qvaſi redit repercuſſus. Qvintilianus lib 12. Literam tinnientem vocat.

Terentianus etiam hanc ex palato definit: qvartam ſemivocalem faciens:

Qvartæ ſonitus fingitur uſqve ſub palato:

Qvo Spiritus anceps coëat naris & oris.

Capella hic dentes adjunxit. Qvod lingva proxime dentes, palatum tangat.

Apud Gellium lib. 19. cap. 14. P. Nigidius, Ciceronis, Cæſaris & Varronis æqvalis. N qvoddam adulterinum, in lingva Latina eſſe docet. Inter literam, inqvit N & G, eſt alia vis: ut in nomine angvis, & angaria, & ancoræ, & increpat, & ingenuus. In omnib. enim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

his, non verum N, ſed adulterinum ponitur. Nam N non eſſe lingua indicio eſt. Nam ſi ea litera eſſet: lingva palatum tangeret. Hæc ille. Ergo N lingvæ & palati eſt. In N avtem illo adulterino, dorſum lingvæ, palato admotum, vice mucronis lingvæ, palatum tangentis, fungitur.

N tranſit in L: ut unus, ullus, nullus, vinum, villum, catena, catella, bonus, bellus, catinum, catillum. Similiter collega, colligo, illido, collido, Et in R, ut corrigo, corrumpo, irrito. Priſcianus pag. 24.

R, L, N, IMMUTAbiles.

H*Ae avtem tres lingvopalatinæ R, L, N, apud Græcos & Latinos, in declinatione & conjugatione, ferè immutabiles ſunt & dicuntur. Priſcianus pag. 15. Hoc qvoqve obſervandum eſt: qvod ad comparationem aliarum conſonantium, qvæ ſolent mutari vel abjici per caſus, immutabiles ſunt apud nos tres R, L, N. Per omnes enim caſus, eædem permanent, ut cæſar cæſaris, ſal ſalis, flumen fluminis. In verborum qvoq; præteritis perfectis illæ tres rarius mutantur: Verro*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

verri, volo volui, cano cecini. Atqve hactenus lingvopalatina fuit.

CONSONANS LINGVODENTALIS.

Dentalis eſt qvæ mucrone lingvæ, ad dentes extenſo & applicato, formatur. Et lingvodentalis dici poteſt. Atq; hîc bini ſoni ſimiles & cognati ſunt. Eaq; duplex eſt: ſupera & infera. Galenus de fœtus formatione. Lingva, inqvit, ad dentes ſectores dictos, impingitur: Idq; maxillæ vel ſuperioris vel inferioris.

LINGVODENTALIS ſupera.

Supera eſt, qvæ mucrone ad dentes ſuperos applicato & lingva longa, formatur. Unde & naribus utitur. Eſtq; duplex T & D. Plato, lingva, inqvit, in T & D, proferendis, ad dentes comprimitur & adhæreſcit.

T

T, E T vel T E, formatur mucrone ſuperius dentes tangente & pulſante. Ennius:

O Tite, tute, tate, tibi tanta tyranne tuliſti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Terentianus hanc rectè definit:

T qvà ſuperis dentibus intima eſt o-
rigo,
Summa ſatis eſt ad ſonitum, ferire
lingva.

In hujjus pronunciatione, hodie vitium eſt. Qvod vulgò T ante I profertur ut S. ut in gratia, dentium, vitium, qvaſi graſia, denſium, viſium, vel etiam ut gratſia, dentſium, vitſium. In qvo vitium geminatur. De hac pronunciatione, veterum nemo præcepit. Sed ex vernacula & populari lingva Italica, ſumpta videtur. Et ejjus occaſio aliqva à Valla primum data eſt.

Hic ſonus apud Hebræos duplici figura & nomine exprimitur. Harum altera, ת nomine Tav. Ex ea parum immutata, figura Græca & Latina T facta videtur. Qvam Lucianus crucem appellat. Nomen Hebraicum Græci retinent Tav. Altera figura eſt, ט nomine Thet. Hæc etiam figura pavlum immutata Græca facta eſt Θ vel θ. Et ex nomine Hebraico Thet, theta Græcum factum eſt.

T cum S cognationem habet. Unde & in S tranſit Latine: ut verto verſus, concutio concuſſus: Hinc etiam τὺ pro σὺ, & τε pro σὲ

eſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

eſt, ait Priſcianus. pag. 18. Et Attici libenter pro S, præſertim gemino, Tau uſurpabant: ut pro γλῶσσα, θάλασσα, πλάσσω, σήμερον, communiter eſt γλῶττα θάλαττα, πλάττω, τήμερον Attice. unde eſt judicium vocalium apud Lucianum. In qvo ſigma accuſat Tau: Qvod ſigma per Tau, multarum dictionum poſſeſſione dejectus & ſpoliatus ſit.

D

D, ED vel DE, inferius & ſtrictius ſuperos tangit, mucrone etiam extra dẽtes exerto, & lingva inferos dentes, inferiore parte, leviter tangente Aeneid 1.

Condebat donis opulentum & numine Divæ.

Terentianus ſic definit:

At portio dẽtes qvoties ſuprema lingvæ
Pulſaverit imos: modiceqve curva ſummos,
Tunc D ſonitum perficit, explicatq; vocem.

D autem Qvintiliano mollior eſt qvam T. Cum T, inqvit, nõ valuerunt, in D molliuntur. Qvo mihi indicare videtur, ipſi T ſuccedere proximè D.

Inter D ergo & T primum, cognatio eſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

T,inqvit Qvintilianus,cum D qvædam cognatio eſt. Qvare minus mirum eſt: ſi in vetuſtis operibus urbis noſtræ, & celebribus templis,legantur Alexanter, Craſſantra.

In compoſitione avtem D, cum pleriſqve præcedentibus,cognationem habet & permutatur. Mutatur ergo primum in T,ut attinet, attingo: Deinde in N: ut annuo: Tertio in L, ut allido,alludo. Qvarto in R, ut arrideo,meridies,pro medidies. Et antiqviſſimi pro ad,freqventiſſimè R ponebant.ut arvenas,arventores,arvocatos, arfines, arvolare,arfari,dicimus, pro advenas, adventores,advocatos,adfines,advolare,adfari: Unde oſtenditur rectè arceſſo dici ab arcio verbo. Qvod nunc accio dicimus. Qvod eſt ex ad & cio,compoſitum. Ut ait Priſcian.lib.1. pag.27.Poſtremo in S, ut aſſideo. Atq; hæc mutatio etiam in derivatione fit: ut ſvadeo, ſvaſi, rado raſi. Atq; hîc pro D,S S.duplex eſt. ut cedo ceſſi, fodio foſſus.

D etiam in Latinis vocibus,inſeritur hiatus prohibendi cavſa: ut redigo, redarguo, prodeſt. Subtrahitur etiam,cum ſeqvens ſyllaba ab S,& alia conſonante,incipit: ut aſto, aſcendo,aſpiro, aſpicio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

LINGVODENTA-lis Infera.

Infera eſt, qvæ lingvæ mucrone ad inferos dentes devoluto, & interiori lingva ad palatum & dentes ſubducta, ac proinde lingva convexa formatur. Atq; hîc non ſolum mucro, ſed etiam interior lingva pulſat, & ſonos diſtingvit. Verum hic diſcrimen ictus & loci, obſcurior eſt. Et mihi ipſe nondum hîc ſatisfeci.

INFERA INTERIOR.

Infera duplex eſt, interior & exterior. Interior eſt, qvæ lingva palatum interius, & dentes genuinos pulſante fit: ut C & H.

C

C, CE vel EC. pulſu fortiori fit, ut Aeneid. 2.

Qvo res cunq; cadent, unum & com
mune periclum.

Terentianus obſcurius hanc literam definit ex dentibus tantum:

Utrumqve latus dentibus applicare
lingvam,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

C preſſius urget: ſed hinc hincq; remittit.

Qvo vocis adhærens ſonus, explicetur ore.

Terentianus hîc dentium meminit: ſed dentes non definit. Capella id ſubtilius interpretatur. C, inqvit, molaribus ſuper extrema lingvæ appulſis, exprimitur.

In hac avtem conſonante, in literis Latinis incommodum duplex eſt. Pleonaſmus & Enallage. Primum eſt pleonaſmus figurarũ & is antiqvis. pro unica enim litera, triplex figura eſt, ejuſdem poteſtatis & ſoni, C, K, Q. Qvas CE, KA, Qu, appellant. Deinde in C, vocis Enallage eſt. vulgo enim hodie ante e & i, profertur ut S. ut cella, cibus, qvaſi ſella ſibus. Qvalis Enallage ante in T ante I, fuit. Et hæc recentior eſſe videtur, ex Italica fortè lingva etiam ſumpta.

Sed contrà Grammatici veteres docent: trium literarum ſonum, eundem eſſe: idqve ante qvamvis vocalem. Ac proinde Pleonaſmum figurarum & Enallagen ſoni indicant & reprehendunt.

Terentianus hunc Pleonaſmum notat, & ſonum eundem ſemper eſſe indicat.

K per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

K perſpicuum eſt, litera qvod vacare
poſſit.
Et Q ſimilis. Namq; eadem vis in u-
troq; eſt.
Qvia qvi locus eſt primitus unde ex-
oritur C. (ces,
Qvaſcunq; deinceps libeat jugare vo
Mutare neceſſe eſt ſonitum qvidem
ſupremum:
Refert nihil, K prior ſit, an Q ſiet,
an C.

Et Qvintilianus lib.1.cap.5. Et K, qvæ & ipſa qvorundam nominum nota eſt: & Q, cujjus ſimilis effectus ſpeciesq; eſt: niſi qvod pavlũ à noſtris obliqvatur. Kappa apud Græcos, nunc tantũ in numero manet. Hoc eò nõ omiſi, qvod qvidam eam, qvoties a ſeqvatur, neceſſariam eſſe credunt. Cum ſit C litera, qvæ ad omnes vocales vim ſuam perferat.

Et cap.12. Nam K qvidem in verbis nullis utendum puto: niſi qvæ ſignificat etiam, ut ſola ponatur.

Terentius avtem Scavrus de C & K, contra ſentit: ego, inqvit, contenderim magis ſit pervacuum eſſe C, qvam K. Qvoniã K ut apud Græcos, ſatis etiã vim c literæ exprimat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Priſcian. pag. 8. de uno trium literarum ono, plenius repetit. K enim, ait, & Q, qvamvis figura & nomine, videantur habere aliqvam differentiam cum C: tamen eandem tam in ſono vocum, qvã in metro, continent poteſtatem. Nulla enim ratio videtur: cur a ſeqvente, k ſcribi debeat. Carthago enim & caput, ſive per C, ſive per K, ſcribantur: nullam faciunt, nec in ſono, nec in poteſtate, ejuſdem conſonantis differentiam.

Et pavlò poſt: Avtoritas, inqvit, tam Varronis, quam Macri, teſte Cenſorino, nec K nec Q, in numero adhibet literarum.

Ac de Q privatim duobus argumentis utitur Priſcianus: Qvod ſi, ait, Q alia litera exiſtimanda eſt, qvam C: qvod tantum præponitur u, amittenti vim literæ: debet G qvoq;, cum ſimiliter præponitur u, amittenti vim literæ, alia putari: & alia cum id non facit, dicimus enim angvis ſicuti Qvis, & avgur ſicut cur.

Et paulò poſt: Niſi Q, inqvit, eandem vim haberet, qvam C. nunqvam in principiis infinitivorum, vel interrogativorum qvorundam nominum poſita, per aliqvos caſus, in illam tranſiret. ut qvis, cujus, cuj.

Simili-

Similiter à verbis Q habentibus, in qvibuſdam participiis in C transfertur: ut ſeqvor ſecutus, loqvor locutus. Hæc Priſcianus. Qvare tres figuræ qvidem ſunt: Sed una eſt litera, qvæ una etiam figura exprimi poſſet: niſi uſus obſtaret.

Qvod avtem ad Enallagen ſoni in C attinet, eam etiam ſonus ejjus poſt vocalem refutat. Si enim proferas, lac, halec, hic, hoc, huc, idem ſemper eſt ſonus conſonantis C. Et poſt e & i idem ſonat, qvod poſt alias. Qvare etiã ante e & i, idem ſonus eſſe debet, qvi eſt ante a, o, u. nempe Ke non ſe. Qvod in aliis etiam conſonantibus ferè fit.

Hebræis figura hîc gemina, cum gemino nomine eſt. prior כ, *nomine Caph. Ex figura inverſa C Latinum factum eſt. Et addita linea recta, & forma circulari in triangularẽ mutata, figura Græca K. Ex nomine avtem caph, Græcum* Κάϖπα *eſt.*

Poſterior eſt ק, *nomine Cuph. Hinc ex figura & nomine, pavlulum mutatis, Latina figura Q vel q, & nomen Qu, prorſus factum eſt. Qvam literã Græci prætermiſére.*

Ad hunc ſonum etiam ח *chet, &* ע *ſi ut Cain, proferas, referri poſſunt. Sonus enim*

cum caph & coph fere congruit. Sed y, etiam olim ꝓ vocali o vel ω uſurpata eſſe videtur. ſi qvid in ea re ponderis habet argumentum, ex ordine literarum Hebraicarum & Latinarum inter ſe collato, ſumptum.

H

H, HE vel EH, ictu lingvæ leniori fit, ut Vergil.

—— Hic illius arma,
Hic currus fuit, Hoc regnum Dea gẽtibus eſſe.

Terentianus:

Nulli dubium eſt, favcibus emicet qvod ipſis,
H litera ſive eſt nota, qvæ ſpiret anhelum.

At non ſolum favcibus & palato, ſed etiam leni geminorum & palati pulſu formatur. Et eſt C, lene. Unde & Hebræi Chet & He gutturales faciunt.

Eſſe avtem He literam, & qvidem conſonantem, ab aliis diſtinctam, non eſt dubium. Habet enim ſonum ab aliis omnibus diverſum. Qvi adjectus vel detractus, ſignificationem vocum mutat. Sic aliud eſt & ſignificat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ἄμη,αὐτὴ,ἄδω.ara,abitus,abeo: Aliud ἅμη, αὑτὴ,ἅδω.hara,habitus,habeo.nec niſi cum vocali ſonat.

Neqꝫ obſtat,qvo minus litera ſit,qvod dum profertur, ſpiret.Neqve enim illa ſola ſpirat, avt ſpiritus eſt : Sed aliæ etiam omnes literæ ferè ſpirant: Spiritus enim commune literæ ſubjectum & vehiculum eſt.Et conſonantes, qvia impetu qvodam proferuntur, magis & fortius qvam vocales ſpirant. Et præcipuè hæ : S, R, T, D, C, F, B, P. Qvod deprehendi poteſt: Si qvis, dum eas profert, manum avt plumam aut lychnum ardentem propius ori admoveat. Qvare He non ſola ſpirat. Imo aliis lenius ſpirat. S,enim multo ſpirat fortius.

Poteſt igitur H,& ſpiritus & flatus eſſe & dici,& nihilominus litera eſſe.Sic S ſibilus, R ſtridor vel ſuſurrus, L clangor, N tinnitus & aliæ aliter dici poſſunt. Et tamen literæ ſunt & conſonantes.

Neqꝫ enim obſtat,qvo minus litera ſit, & qvidem conſonans : qvod in carmine, non faciat poſitionem. Qvod à Terentiano propoſitum eſt :

Sola nec vocalis uſum , nec tuetur
conſonæ.

Tempus avt miniſtrat ullum brevibus uſqvam ſyllabis.

Nam etiam aliæ conſonantes liqveſcunt: nihilominus literæ conſonantes ſunt. Et S olim elidebatur: & tamẽ litera conſonans eſt.

Verum qvoniam de hac conſonante ejusqve uſu, varia ſunt Græcorum & Latinorũ judicia: altius ejjus hiſtoriam repetam: & ex ipſa lingva Sancta arceſcam.

DE H APUD HEbræos.

HEbræi H, inter literas conſonantes numerant, & figura ה *& nomine He, à reliqvis conſonantib. diſtingunt. Qvare & in aliis lingvis, hic ſonus & litera & conſonans eſt. Qvo argumenti genere Priſcianus ferè utitur pag. 15. Non mirum eſt, inqvit, h in ah & vah, interjectionibus, poſt vocalem in fine ſcribi: cum in Syrorũ Aegyptiorumqve dictionibus ſoleant etiam in fine aſpirari vocales.*

He avtem Hebræi, ut aliis ferè conſonantibus, ſola, & ante & poſt vocalem utuntur. Et ante qvidem vocalem, ſemper proferuntur ut:

חֶבֶל hevel, vanitas.

הָלַךְ halách ambulare.

Poſt vocalem aliàs proferunt, aliàs non. Quod an Grammaticorum placitum ſit, neſcio: Proferunt, quoties punctulo, quod mappic appellant, inſignitum eſt: ut

יָהּ Jah Deus.

גָּבַהּ Gaváh, eminuit.

Non proferunt, quoties puncto caret, ut

גָּלָה Galá, revelavit.

Sed figura ה *vel* הּ, *olim etiam ante puncta reperta, pro vocali E, ſcripta fuiſſe videtur. Unde Græca figura,* η *vocalis & nomen* ἦτα *Eta, fortaſſe à recentioribus Græcis deinde facta eſt.*

DE H APUD GRAECOS.

GRæci veteres, ut Hebræi, He literam habuerunt. eamq; figura H, quæ ab Hebræa ה *non multum abludit, notarunt: & in verſu, inter alias literas ſcripſerunt.*

Priſcianus lib.1.pag.28. Græcorum, inquit, antiquiſſimi, ſimiliter, ut Latini, in verſu H ſcribebant.

Et pag.25. Adeo eſt cognatio S literæ cum

aſpiratione. Quod pro ea, in quibuſdam dictionibus ſolebant Bœoti, h ſcribere, muha pro muſa dicentes.

Terentius quoque Scaurus de Orthographia affirmat H literam eſſe: & à Græcis in verſu ſcriptam. Eaq́ Atticos notaſſe hecaton, id eſt, centum.

Verum recentiores, Simonide fortaſſe autore. H figuram ad vocalem longam ſignificandam tranſtuliſſe videntur. Deinde H cõſonantem è numero literarum removiſſe, & πάθος tantum literæ feciſſe, & ſpiritum craſſum nominaſſe. Deinde ad hunc ſpiritũ exprimendum, figura uſi ſunt Ͱ, quæ eſt ſiniſtra pars literæ H, in duas partes diviſæ. Quæ figura ſupra verſum ſcripta eſt. Et poſtea in C mutata eſt. Et deinde figuram contrariã Ⱶ vel Ↄ, quæ eſſet ſpirit⁹ lenis nota, oppoſuerũt.

Priſcianus pag. 28. Nunc autem, inquit, H diviſerunt, & dextram ejus partem ſupra literam ponentes, pſilen notam habent: quam Remnius Palæmon exilem vocat: Gryllus verò ad Vergilium de accentibus ſcribens, lenem nominat. Siniſtram autem contrariæ illi aſpirationis, daſiam, quam Gryllus flatilem vocat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

DE USU H APUD Græcos.

GRæci igitur H ſolum ante vocalem adhibent. Et plurimum apice exprimũt, ante omnes vocales, ἅδης, ἕδος, ἥλιος, ἵδρως ὕδος, ὥρα, ὑὸς. *Interdum inter conſonantem & vocalem, h adhibent: & tum vel apice etiam exprimunt: ut* ῥόδον: *In medio autem vocis, ſi* ρ *præcedat, ſic ſcribũt,* πύῤῥος. *Vel unam conſonantis figuram, cuj he incluſum ſit. Scribunt, cujjuſmodi tres ſunt figuræ. de quibus poſtea agemus, nempe* θ, χ, φ, *ut* θεὸς, χίων, φήμη.

Verum ſi Hebræorum & veterum Græcorum exemplo, pro apice illo, rurſum figura literæ He, in Græcam lingvam reciperetur: & figura H vel ⊢⊣, *ut à figura Simonidis recentiori, H vocalis, diſtingveretur, vel Latino more H notaretur, & in verſu ſcriberetur: leni ſpiritu, ut vocant, prorſus abjecto: ratio ſcriptionis verior & expeditior eſſet: Eoq; compendio, ſcrupuloſa illa Grammaticorum obſervatio, de Spirituum ratione, & vocibus aſpirandis & levigandis, ut vocant, tolli poſſet.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

DE H APUD LAtinos.

Latini Græcos partim ſecuti ſunt, partim non. Primum enim veterum Græcorum & Hebræorum exemplum ſecuti ſunt. Nam veterum Græcorum exemplo, H figura literæ, in verſu ſcripſerunt: commentum autem recentiorum de apice duplici, ut minus commodum repudiarunt. Sed ab illa dubitatione, de H, an litera ſit necne, explicare ſe non potuerunt. Et de ea quæſtione variè diſputarunt.

DE USU H, APUD Latinos.

Quod autem ad uſum H conſonantis attinet: eam Latini etiam, ante vocalẽ fere tantum adhibẽt. Et in Latinis vocibus, H ſolum ponunt: ut hamus herus, hilum, homo, humus, hydra. In Græcis autem vocibus, Græcorum cõſuetudinem ſequuntur: & inter quatuor conſonantes R, T, C, P, & vocalẽ ſequentem, h inſerunt: ut Rhodus, thorus, chorus, Phyllis. Poſt vocalem in tribus tantum interjectionibus H ſcribunt, ah, vah, oh:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

De ah & vah Priſcianus meminit pag. 14. & 15. In ah inqvit, & vah aſpiratio ſeqvitur vocalem. Qvod mirum non eſt: Cum in Syrorum, Aegyptiorumq́ dictionibus ſoleant etiam in fine aſpirari vocales.

Cicero de Oratore docet, H veteribus Latinis, nullum ferè fuiſſe, niſi in vocali: ſuo tamen tempore erupiſſe contrariam conſvetudinem, cui cōceſſerit. Qvin, ego ipſe, ait: cum ſcirem ita majjores locutos eſſe: ut nuſqvam niſi in vocali, aſpiratione uterentur: loqvebar ſic, ut pulcros, cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem. Aliqvādo, idq; ſerò convicio avrium, cum mihi extorta veritas eſſet: uſum loqvendi populo conceſſi: ſcientiam mihi reſervavi. Orcinos tamen, Matones, Otones, capiones, ſepulcra, coronas, lacrymas dicimus. Qvia per avriū judiciū ſemper licet.

Catullus vero Ciceronis æqvalis, immodicum illud aſpirationis ſtudium eleganti carmine notavit, in Arrio:

Chommoda dicebat, ſi qvando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Et cū mirificè ſperabat ſeſe eſſe locutū,
Cū qvantū poterat, dixerat hinſidias.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Credo ſic mater, ſic liber avunculus
cjjus,
Sic maternus avus dixerat atqve
avia.
Hoc miſſo in Syriam, reqvierant omnibus
avres.
Avdibant eadem hæc leníter & leviter.
Nec ſibi poſt illa metuebant talia
verba,
Cum ſubito affertur nuncius horribilis:
Ionios fluctus poſtqvam illuc Arrius
iſſet:
Jam non Ionios eſſe, ſed hionios.

Qvintilianus idem repetivit. Aſpiratione, ait, veteres parciſsimè uſi ſunt, etiam in vocalibus: cum ædos, ircosq; dicebant. Diu deinde ſervatum: ne conſonantibus aſpiraretur, ut in Graccis & triumpis. Erupit brevi tempore nimius uſus, ut choronæ, chenturiones, præchones, adhuc qvibuſdam inſcriptionibus maneant, qva de re Catulli nobile Epigramma eſt.

Terentianus ſui temporis judicium prodidit, his verbis:

Nulli

Nulli dubium eſt: favcibus emicet
qvod ipſis
H litera: ſive eſt nota, qvæ ſpiret an-
helum.
Qvin hanc etiam Grammatici vo-
lunt vacare.
Qvia non adjicit literulis novum ſo
norem:
Sed Græcula qvædam ſolitæ nitella
vocis,
Vocalibus aptè ſed antepoſta cūctis,
Haſtas, hederas, qvum loqvimur, hi-
ſter, hoſpes, hujjus,
Solum patitur qvatuor ante conſo-
nantes,
Græcis qvoties nominib⁹ Latina for-
ma eſt,
Si qvando Choros, Phyllida, Rham-
num, thyma dico.

His docet Terentianus ſolas vocales in Latina dictione aſpirari. Idemq; rurſus alio loco affirmat:

Una nam ſpiramen addit omnibus
vocalibus,
Haſta qvando & hedera dicis, hiſter
hoſpes atq; humus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Qvatuor ſolis adhæret conſonantiũ
literis,
Inſerit ſi qvãdo Græca ſermo noſter
nomina,
Qvum choros, Rhamnũ, neceſſe eſt,
Phyllidem, Thymum loqvi.

Diomedes lib.2.Solas,inqvit,vocales qvidam aſpirari exiſtimant.

Priſcianus pag. 13. minus aperte id explicat. Aſpiratio,inqvit,ante omnes vocales poni poteſt. Poſt conſonantes avtem qvatuor tantummodo,more antiqvo Græcorum, C, T, P, R, ut habeo, Herennius, hyems, homo, humus, hylas. Chremes, Thraſo, Philippus, Pyrrhus. Hæc ille. Ubi Priſcianus non ſatis aperte rem explicat. Non enim exprimit, in ſolis vocibus Græcis, conſonas aſpirari. Ut diſertè Terentianus ait: Qvamvis voces quatuor poſtremæ, exempli cauſa à Priſciano poſitæ, Græcæ ſunt.

AN H POST CONSONANtem apud Græcos & Latinos Litera ſit?

V*Erum hîc dubitari poſſe videtur: an h ante vel poſt vocalem ſola, & h poſt*

conſonantem, ejjuſdem poteſtatis ſint. Hîc enim juſtior cauſa dubitandi & diſputandi Grammaticis eſſe videtur: qvam aliàs. H enim ſola & ante & poſt vocalem, vera litera eſſe videtur, & ſonus ab omnibus aliis literis diſtinctus: Qvæ etiam ſine omni ſpirandi conatu ſingulari, ut aliæ conſonantes, leniter & leviter efferri poſſit. H avtem poſt conſonantem, flatus qvidam pingvior eſſe videtur, majjori ſpirandi conatu & hiatu qvaſi, proferendus. Qvi omnibus omnino literis, & ipſi etiam h, communis eſſe poteſt. Et in literis vel omnibus, vel qvibuſdam, gentis vel hominis alicujjus ſpirituoſi, natura vel conſvetudine, fieri poteſt & ſolet. Qvod & Priſcianus indicare videtur, cũ ait, pag. 13. Ideo, inqvit, aſpiratio extrinſecus aſcribitur vocalibus, ut minimum ſonet. Conſonantibus avtem intrinſecus, ut plurimum. Omnis enim litera ſive vox, plus ſonat ipſa ſeſe, cum poſtponitur: qvam cum anteponitur. Hîc Priſcianus diſertè affirmat: H poſt conſonam, plus ſonare, qvam ante vocalem. Qvare flatus qvidam vehementior & copioſior eſſe videtur, ſingulari conatu expreſſus. Et Catullus non ſolum communem: ſed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

etiam propriam qvandã in Arrio in loqvendo, ſpirandi & aſpirãdi craſſius & pingvius, conſvetudinem reprehendere videtur. Unde & Epigramma ſuum, voce Hionios, clauſit, alludens ad verbum hio. Qvod Arrius in aſpirando, hiatum affectaret. ut cenſet Scaliger lib. 1. cap. 45.

Qvod ſi autem hoc ita eſt, non rectè ſonus literæ h, & flatus ille pingvis & penè vitioſus, eadem figura notari videtur. Nec recte H inter conſonantem & vocalem ſcribi. Atqve hîc potius ſpiritus Græcorum, ſi figura aliqva neceſſaria eſſet, adhibendus eſſet: vel apex aliqvis ſimilis. Qva de re amplius diſqvirendum cenſeo.

DE H IN LINGVA Danica.

IN noſtra autem lingva Danica, aſpiratio non ſolum ante vocalem: ſed etiam poſt vocalem, in fine dictionis monoſyllabæ brevis, ſonare, & ſcribẽda eſſe videtur, ut apud Hebræos, ut ah ego, dah tunc, duh tu, dih illius.

Imo in omnibus lingvis & ante & poſt vocalem ſonare videtur h, in gemitibus & ſuſpiriis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſpiriis ægrotantiũ & dolentium, graviterq; anhelantium. Unde etiam ah vah oh interjectiones Latinæ factæ ſunt. Et litera ipſa etiam gemitus & ſuſpirium dici poteſt.

COGNATIO H ET S.

H cum S cognatio eſt. Priſcianus pag. 25. Sæpe, inqvit, S pro aſpiratione ponitur, in his dictionibus. Qvas à Græcis ſumpſimus: ut ſemis, ſex, ſeptem, ſe, ſal. Nam ἥμισ, ἓξ, ἕπτα, ἕ, ἅλς, apud illos aſpirationem habent in principio. Adeo avtem cognatio eſt S literæ, cum aſpiratione, Qvod pro ea in qvibuſdam dictionibus ſolebant Beoti, H ſcribere, muha pro muſa dicentes.

He cum C etiam cognationem habet, ut traho, traxi, vel tracſi, tractus, veho, vexi vel vecſi, vectus.

Atq; hîc etiam intelligi poteſt H literam eſſe. Res enim ejjuſdem generis & ſpeciei, inter ſe tantum permutantur, ut Qvantitates, Qvalitates, colores, odores, ſapores, ſoni & literæ.

LINGVODENTALIS
Infera exterior.

INfera exterior eſt, quæ lingva palatum extimum, & dentes genuinis vicinos pulſante, & mucrone lingvæ inferos dentes magis premente, fit ut J & G.

J

J, EJ vel JE, pulſu fortiori fit: ut Aeneidos 1.

Jam pater Aeneas, & jam Trojjana juventus.

Hujjus conſonantis magna eſt cum vocali lingvali ultima, cognatio & affinitas. Unde & facilè hæc in illam per Craſin, & illa in hanc per Diæreſin ſyllabæ tranſit: ut Jacobus triſyllabum: Jäcobus qvadriſyllabum. βασιλέϊ, βασιλεῖ. Qvæ res Græcis & Latinis, ex parte, impoſuit: ut minus hanc conſonantem agnoſcerent: & à vocali figura & nomine diſtingverent.

Eſſe tamen conſonantem natura à vocali diſtinctam non eſt dubium. Nam & cum vocali ſonat: & ictu lingvæ formatur, & poſitionem facit apud Græcos & Latinos. Qvare & figura ei & nomen, à figura vocalis & nomi-

nomine, diverſa debentur & danda ſunt, ut fecimus.

Qvoniam avtem hæc conſonans ejjusqve uſus, non ſatis hactenus agnitus eſt, ejjus hiſtoriam etiam altius repetemus, & ab ipſis Hebræis ordiemur.

DE J APUD HEbræos.

H*Ebræi, Chaldæi, Syri, Arabes, hanc conſonantem figura & nomine, à vocali diſtinctam habent. Qvare etiam in aliis lingvis conſonans eſt: & figuram & nomen proprium habere debet. Eaqꝫ & ante & poſt vocalem utuntur.*

Ante vocalem ut:

יָפֶת *Japhet, diſſyllabum pulcher.*

יְהוָה *Jehovah, triſyllabum Jehova.*

Poſt vocalem, ut:

אֲדוֹנָי *Adonáj, triſyllabum, Dominus,*

גוֹי *Gój monoſyllabum, Gens.*

גָּלוּי *Galúj, diſſyllabum, revelatus.*

Sed anteqvam vocales punctis ſcribi cæperunt: Jod etiam pro vocali E & I ſcripta eſſe ab Hebræis videtur. Atqꝫ ita & voca-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

lis, & conſonantis nota fuiſſe: ut Elias Levites tradit. Qvod Græci & Latini ſecuti eſſe videntur.

DE J APVD GRAECOS.

G*Ræci hujjus conſonantis ſonum, tãtum poſt vocalem ferè habent. Nam ante vocalem jota ſemper ſeorſim per ſe, ut vocalem proferebant: Neç cum ſequente vocali conjungebant, ut:*

ῒατρος, *Iätros, triſyllabum, medicus.*
ϊ̔ερεὺς, *Hiërus, triſyllabum, ſacerdos.*
ῒον, *Iön, diſſyllabum, flos, viola.*

In Barbaris tamen vel Latinis vocabulis, jota apud Græcos aliqvando hîc conſonans eſt. Sic Ἰουδαῖος *tribus ſyllabis effert Lucianus, & omnes Græci. Sic* Ἰώσηπος, Ἰάκωβος, *qvandoq; triſyllaba ſunt.* Ἰουλιανὸς *tetraſyllabum eſt ut in illo Epigrammate:*

Ἰουλιανὸς βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερὸς τ' αἰχμητής.

Verum poſt vocalem, plerunq; jota cum vocali præcedente conjungunt. Qvod veteres ut conſonantem proferebant. Cujjus rei locu-

locuples teſtis eſt Plutarchus, Qui συμποσιακῶν lib. 9. Queſt. 3. Alpha, inquit, cum jota aut ypſilon præcedente, ſyllabam non facit: ſed jota aut ypſilon ſequente, & συμφωνοῦντι conſonante, utitur, ut ἄjαυτος, αἰδεῖσθαι: αὔριον, αἰλεῖν. Hæc Plutarchus. Quod autem de alpha ait: de ἔψιλον etiam, omicron, & ypſilon vocalibus intelligendum eſt. Jota ergo olim poſt vocalem, cum vocali α, ε, ο, & υ, conſonabat, & conſonãs erat. Et quidem poſitionem faciebat, alia conſona ſequente, vel in eadem ſyllaba, ut παj͂ς, κλεj͂ς, τοj͂ς, vel diverſa ut αjνὸς, κεjνὸς, κοjλὸς, ὑjjὸς.

Verum hic Grammatici omnes Græci, hactenus lapſi & hallucinati ſunt, qui Jota poſt vocalem, vocalem non conſonantem eſſe putarunt. Ac proinde hic diphthongum primum fecerunt. Decepti autem ſunt ſoni vocalis & conſonantis ſimilitudine: & figuræ ejjuſdem & nominis homonymia. Hic enim unà & eadem figura & nomine duæ literæ, admodum diverſæ, continebantur. Non aliter atq; nomine arbuſculæ, & ſtirps & mulier, artemiſiæ & herba & mulier appellatæ ſunt.

DE FIGURA J APUD Græcos.

AD hanc ergo homonymiam tollendam, figura peculiari & nomine opus eſt. Verum ut nemo ferè hactenus de Jod conſonante, hîc qvicqvam ſuſpicatus eſt: ita neq; de figura avt nomine, qviſqvam cogitavit.

Grammatici Græci recentiores, cum viderent, hanc diſtinctionem vocalis & conſonantis, qvam tamen non ſatis agnoverunt, neceſſariam eſſe: eam punctulis duobus, qvæ vocant διαιρέσεως, qvibus vocalis notatur, moliti ſunt: ut βασιλέϊ, βασιλεῖ.

Sed diſtinctio per diverſas figuras certiſſima & commodiſsima eſſet. Ea avtem commodiſsimè fieri poteſt, ſi pro vocali, figura uſitata i vel I ſcribatur: & ita, appelletur: pro conſonante avtem j vel J, qvod eſt ita cavdatum, & Jota vel Jod appelletur. Qvorum illud nomen ex hoc factum eſt. Qvæ ſcriptio etiam Adolpho Melcerko placuit. in commentario, de veteri & recta pronunciatione lingvæ Græcæ. Is avtem jota, ante vocalē tantum, ut in ἰȣδαῖος & ſimilibus, conſonantem eſſe putavit.

Atq;

Atq; hæc diſtinctio utilis & neceſſaria eſſet iis, qvi veterem pronunciationem Jota, hîc ſeqvuntur: ut ſunt Angli & alii: & diphthongum tolleret.

DE J APUD LATInos.

LAtini hujjus conſonantis ſonũ & uſum, & ante & poſt vocalem habent. Sed varium eorum de ea judicium eſt.

DE J ANTE VOcalem.

PRimum ante vocalem eſt, ut Jaceo, Jecur, Jocus, Juſtus. Qvod à conſvetudine & pronunciatione lingvæ Græcæ diverſum eſt.

Hîc ergo Grammatici Latini veritatem facile viderunt. Cum enim hîc nihil à Græcis præſcriptum haberent: ſuo judicio liberè uſi, maturè J hîc conſonantem eſſe viderunt & docuerunt.

Priſcianus pag. 10. J pro ſimplici conſonãte eſt: Qvando ab ea incipit ſyllaba, in principio dictionis poſita: ſubſeqvente vocali in eadem ſyllaba: ut Juno Jupiter. Et paulò

poſt: pro ſimplici quoq; conſonante, in media dictione invenitur: ſed in compoſitis, ut injuria, adjungo, ejectus, réjice. Virgilius in Bucolicis:

Tityre paſcentes à flumine rejice capellas.

Proceleuſmaticum poſuit, pro dactylico. Hæc Priſcianus. Quanquam Scaliger hîc lib. 1. cap. 12. Rejice, in verſu Virgilii, non rectè per duplex i, ſcribi & legi affirmat: ſed potius rejce, per j conſonantem, vocali abjecta, legendum eſſe. Et alium verſum pro exemplo ſubſtituit. Georg. 3.

Rejice: ne maculis infuſcet vellera pullis.

DE J POST VOCALEM.

D J poſt vocalem, varia eſt ratio: & magis varia Latinorum opinio. Nam conſonãs hîc, in quibuſdam dictionibus & olim ſonuit: & hodie etiam ſonat: & à Latinis conſonans eſſe agnoſcitur & docetur: In aliis autem olim quidem ſonuit: ſed hodie non ſonat. Et hîc pro vocali, ſemper ferè habita eſt, exemplo Græcorum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

DE J POST VOCALEM
hodie ſonante.

J ergo conſonans, hodie ſonat, partim in medio dictionis, partim in fine. De qva Priſciani judicium avdiamus. Ac primum de J in mèdia dictione.

DE J POST VOCALEM,
in medio dictionis.

P*Rimum ergo poſt vocalem, conſonantem eſſe & poſitionem facere fatentur, cum in medio dictionis geminatur. Priſcian. pag. 10. J inqvit, pro duplici conſonante eſt: Qvando ab ea incipit ſyllaba, poſt vocalem ante ſe poſitam. ſubſeqvente qvoq; vocali in eadem ſyllaba: ut majus, pejus, ejus, in qvo loco Antiqvi ſolebant geminare eandem j literam: & majjus, pejjus, ejjus ſcribere. Qvod non aliter pronunciari poteſt, qvam ſi cum ſuperiore ſyllaba, prior j, cum ſeqvente, altera proferatur: ut pejjus, ejjus, majjus, & duo jj pro duabus conſonantibus accipiebant. Nam qvamvis j ſit conſonans, in eadem ſyllaba, geminata, jungi non poſſet;*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Ergo non aliter qvam tellus, mannus proferri debuit. Unde Pompejji qvoq; genitivum per tria i antiqvi ſcribebant. Qvoniam duo ſuperiora, loco conſonantium accipiebant, ut ſi dicas, Pompejji, Nam tribus iii junctis, qvalis poſſit ſyllaba pronunciari? Nam poſtremum i pro vocali accipiendum eſt. Qvod Cæſari doctiſſimo artis Grammaticæ placitū fuiſſe, à Victore qvoq;, in arte Grammatica, de ſyllabis, comprobatur. Et pag. 30. In Græcis verò qvoties hujjuſmodi apud nos fit Diæreſis penultimæ ſyllabæ. j pro duplice conſonāte accipitur, ut majja ꝑ maj͂a & Ajjax ἀj͂as. Et pag. 31. oe, eſt qvando per Diæreſin profertur in Græcis nominibus: & Græcam ſervat ſcripturam. Pro o enim & j ponitur. Qvæ tamen, ſicut ſupra dictum eſt, locum duplicis conſonantis obtinet. ut Troja pro τϱοj͂α, & maja pro μαj͂α. Hæc Priſcianus. Ergo j etiam poſt vocalem ejjuſdem ſyllabæ, in medio dictionis conſonans eſt Priſciano.

Cum Priſciano ſentit etiam Fabius lib. 1. cap. 5. Sciat qvoq;, inqvit, Ciceroni placuiſſe ajjo, Majjaq; geminata j, ſcribere. Qvod ſi eſt, etiam jungetur, ut conſonans.

Et Terentianus qvi ſic ſcribit:

J me-

J medio cum locatur hinc & hinc vocalium
Troja ſive maja dicas, pejor & jejunium:
Nominum primas videmus eſſe vocales breves:
J tamen ſola ſeqvente, duplum habere temporis.
Ergo vel loco duarum cōſonantium fungitur:
Vel gemella ſi locanda eſt: ut videtur pluribus:
Bis tibi vocalis eadem præbet uſum conſonæ:
Ante vocalem ſeqvendo, cum priore ſyllaba:
Prædita mox & in ſeqventi, jure qvo ſit conſonans.

DE J IN FINE DIctionis.

Je poſt vocalem ejjuſdem ſyllabæ, in fine dictionis, rarius eſt apud Latinos. Nempe in qvibuſdam vocativis Secundæ declinationis: & voculis qvibuſdam, ut hej apud Poëtas hujc & cuj. De hoc ergo j vocativi. Sic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

agit lib. 7. In vocativo ſecundæ declinationis: De Pompej & Vultej, inqvit, & Caj & ſimilibus vocativis: quæ j loco conſonantis, ante us habent in Nominativo: dubitatur, utrum j extrema pro vocali an pro conſonante ſit accipienda, qvomodo in aliis caſibus. Qvod magis, more antiqvo, rationabilius eſſe videtur. Nam ſolebant illi non ſolum in principio, ſed etiam in fine ſyllabæ, ponere j loco conſonantis. Idq; in vetuſtiſſimis invenies ſcripturis, qvoties inter duas vocales ponitur, ut eius, Pompejus, Vultejus, cujus. Qvod etiam omnes, qvi de literis curioſius ſcripſerunt, affirmant. Nec non metra oſtendunt, qvod dicimus. Et regulæ ipſius ratio in ſupradicto vocativo. Omnis enim vocativus in I deſinens, una ſyllaba minor eſſe debet nominativo ſuo: ut Saluſtius ô Saluſti. Virgilius ô Virgili, Terentius ô Terenti. Ergo ſi Pompejus & Vultejus triſyllaba ſunt in nominativo: neceſſario in vocativo diſſyllaba eſſe debent. Qvod non poteſt fieri: niſi j loco conſonantis accipiatur.

Hæc Priſcianus. Qvibus affirmat & probat jod in fine ejjuſmodi vocativorum, conſonantem eſſe. Idqve duplici ratione:

Primum

Primum quia antè in Nominativo, conſonans fuit: Deinde quia Jod cum præcedente vocali, in unam ſyllabam coaleſcere non poteſt: niſi Jod loco conſonantis accipiatur.

Harum poſterior ratio, ut de priore nunc nihil dicam, vera ſolida & generalis eſt. Et proinde diligenter obſervanda j, inqvit, non poteſt in his vocativis cum vocali præcedente, in unam ſyllabam coaleſcere, & cum ea proferri, niſi loco conſonantis accipiatur. Concludo ex verbis Priſciani. Ergo Jod etiam in his voculis monoſyllabis, qvas recitat Priſcianus, hej communiter: apud Poëtas, hujc & cuj, conſonans eſt. Sic & in veteri diphthõgo Latina ej, ut partejs, qvejs, jod conſonans fuit. Et omnino conſonans erit, qvoties cum vocali præcedente, in eadem ſyllaba, profertur.

Atq; hic etiam Scaliger veritatem vidit: qvam tamẽ ante à Priſciano viſam & propoſitam eſſe non meminerat. Is ergo lib. 1. cap. 12. de j ſic ait. Igitur non ſolum cum incipit ab ea ſyllaba, ut dixêre, conſonans erit: ſed etiam, qvod omisêre, qvum terminabit, eſſe poßit. Qvin etiam, ſeqvente conſona, ut in pronomine hujc: Neqve enim ut his

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

eſt conſonans: aſpiratur enim. Neq; eſt diphthongus: Et eſt monoſyllabum. Atq; idem j eſt, qvod prius fuit in ſecundo caſu hujus: ſicut in cuj eſt, qvod erat in cujus. Hæc Scaliger. Atq; hactenus Latini non minimum meruere decus, veſtigia Græca auſi deſerere: & veritatem prodere, atq; tueri.

DE J POST VOCALEM olim ſonante.

J poſt vocalem a,e,o, ſemper ferè olim apud Latinos, ut & apud Græcos ſonuit: & conſonãs erat. ſed exceptis iis ſyllabis, de qvibus nunc dictum eſt, in omnibus aliis Latini, Græcorum avtoritatem ſecuti, J vocalem eſſe putarunt. Ac proinde hîc etiam Græcorum exemplo, diphthongos fecerunt, & eo nomine tres inprimis ſyllabas appellarunt, ai, ei, oi: Hæc enim vetus ſcriptura fuit.

Deinde in his ſyllabis ſcriptura mutata eſt: & pro ai & oi, propter vicinitatem vocalis e & i, de qva in i, dictum eſt, ae & oe ſcriptum eſt. Priſcianus pag.32. pro i, inqvit, e in diphthongo accipimus.

Præterea etiam pronunciatio mutata eſt. J enim conſonans, difficilioris pronunciatio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

nis eſt. Natura enim facilitate delectatur. Unde Cicero in Oratore ſcribit, fuga literæ vaſtioris x, ex axilla, alam, maxilla, malam facta eſſe. Ergo pro ae & oe, e ſimplex pronunciatum eſt, Et ætas, cælum, muſæ dictũ eſt, qvaſi etas, celum, muſe Et qvamvis pronunciatio vera mutata eſt: tamen ſcriptura vetus & prava, veteris pronunciationis veſtigium qvalecunq; permanſit.

Ei autem ſyllaba, in vocalem ſimplicem, e vel i, & pronunciatione & ſcriptione, mutata eſt.

Atq; hujjus rei locuples teſtis eſt Qvintilianus. Qvi & conſonantis J veterem pronunciationem Latinam, Græcæ ſimilem, & ejjus pronunciationis, & ſcriptionis veteris mutationem apertè oſtendit lib. 1. cap. 12. Ai, inqvit, ſyllabam, cujjus ſecundam, e nunc ponimus, variè per a & i efferebant: Qvidam ſemper, ut Græci, Qvidam ſingulariter tantum: cum in dativum vel genitivum incidiſſent. Unde pictai veſtis & aqvai, Virgilius, amantiſſimus vetuſtatis, carminibus inſeruit. In iiſdem plurali numero, e utebantur, hi ſylle, Galbe. Hæc Qvintilianus.

De ei autem ſyllaba, eodem capite ait. Diu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tius duravit, ut ei jungendis, eadem ratione, qua Græci ει, uterentur. Hæc ille. Unde diu conſvetudo manſit, ut pro i longo, ei ſcriberent Latini, ut paſſim in Varrone videre eſt. Et Fabius eodem loco oſtendit & ut parum commodum reprehendit. Ea inqvit ratio caſibus numeriſq; diſcreta eſt: ut Lucilius præcipit:

Jam puerei venere: e poſtremum facito atq; i.
Ut puerei plures fiant.

Ac deinceps idem:

Mendacei, fureiq; addes e, cum dare furi Juſſeris.

Qvod qvidem cum ſupervacuũ eſt. Qvia i, tam longæ, qvam brevis naturam habet: tum incommodum aliqvando: Nam in iis, qvæ proximam ab ultima literam e habebunt, & i longa terminabuntur, illam rationem ſeqventes, utemur e gemina. Qvalia ſunt hæc avreei, argenteei & ſimilia. Idqve iis præcipuè, qvi ad lectionem inſtituentur, etiam impedimento erit. Sicut in Græcis accidit, adiectione j literæ. Qvam non ſolum dativis caſibus, in parte ultima aſcribunt: ſed qvibuſdam etiam interponunt, ut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ut ληιςηι. Qvia Etymologia, ex diviſione, inter ſyllabas facta, deſideret eam literam. Hæc ille.

Verum hic Latini ſimiliter atqve Græci olim lapſi ſunt: & hodie etiam in errore verſantur. Qvos primum Græcorum autoritas in errorem induxit. Deinde ut Græcos, ſoni ſimilitudo in i vocali & J conſonante, & figuræ & nominis homonymia, decepit. Qvare ad hanc homonymiam tollendam & deſtingvendam hîc etiam figura peculiari & nomine eſt opus.

DE FIGURA J, APUD Latinos.

NEmo veterum Latinorum huic conſonanti figuram & nomen dedit: qvibus à vocali I, diſtingveretur. Niſi fortè Clavdius Imperator id fecit. Qvem Svetonius ſcribit tres literas Romanis imperaviſſe. Qvæ autem eæ fuerint, tacet. Duæ nominantur à Priſciano, digamma & antiſigma. Fortaſſe hujjus etiam conſonantis figura aliqva & nomen factum eſt.

Scaliger lib. 1. cap. 40. pro hac conſona

ponit figuram hanc ⸸*. Sed eam uſus non fre quentavit.*

Petrus Ramus in Grammatica Latina & Scholis Grammaticis, commodiorem figuram, & jam ante uſitatam, & cum figura vocalis I cognatam, proponit. Eam nempe qva hîc utimur, j vel J. Eiq; nomen Hebraicum Jod accommodat. Nos, inqvit, Hebræorum exemplo Jod appellamus, & figuram ei tribuimus, qvam in Hiſpanorum & Francorum ſermone, verſatam perſpeximus. Jam pridem enim Hiſpanis, neſcio qvis dedit. Frãciæ certè nunc nuper Ludovicus Megretius utendam propoſuit. Hæc ille.

At hanc figuram etiam Germani, Dani & alii, typographi præſertim, dudum amplexi ſunt, & jam diu uſurpant.

Hæc ergo figura, non ſolum ante vocalem in lingva Latina: ut hactenus ferè factum eſt: ſed etiam poſt vocalem, tum in Græca, tum Latina lingva, ſcribi poteſt: ut in hoc ſcripto, à nobis factum eſt.

DE J IN LINGVA Danica.

In lingva noſtra Danica præſertim Cimbrica,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

brica, hæc conſonans, admodum freqvens eſt. Qvare hîc etiam ejjus figuræ uſus ad rectã & accuratam ſcriptionem & lectionem ad modum utilis & neceſſaria eſt.

Ante vocalem ut Jact venatio, Jeg qvercus, Jæg ego, Jord terra. Et conſona præcedẽte, ut Sjeb ſmegma, ljer argilla, njes naſus, tjær pix, djærro avdax, kjær charus, kjẽr carrus, kjẽrn granum, hjel integer, hjelm galea, hjert cor, hjor grex, hjõr paſtor, gjær fæces, gjær ſæpes, gjern libenter, gjøre facere, fjel aſſer, fjer penna, fjor fretum. Pjer Petrus, bjero mons, bjelck trabs, mjel farina.

Poſt vocalem, ut maj frondes feſtæ vel verbenæ, mãj locus paluſtris, ẽjdom poſſeßio, ſej lentus. Smej faber, lẽj conducere, lẽjdreng mercenarius, nej non, dej maſſa, vej ligna, væj via, fẽj verrere, bẽjl procus. Atqve hactenus de Je.

G

G, EG vel GE, fit pulſu leniori: ut Aeneid. 10.

Agnovit longe gemitum præſaga
mali mens.

Terentianus cum C conjungit: & obtuſius qvam C, ſonare ait:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

G porro retrorſum coït: & ſonum prioris
Obtuſius ipſi propè ſufficit palato.

Qvintilianus etiam, cum intermedias, non agnoſceret, cum c conjunxit, & ejjus ſonum molliorem & hebetiorem eſſe dixit. Et ideo Diomedes lib. 2. novam conſonam eſſe dixit. Sed cum C conjungi non poſſe videtur. Nam illic genuini, hîc dentes genuinis vicini lingva pulſentur. Qvare loca pulſus & ictus diſtincta ſunt. Ac proinde literæ etiam diſpares,*

COGNATIO.

Cognatio tamen eſt C cum G, & commutatio, ut κυϐερνήτης, gubernator, κόϐιος, gobius. Qvadringenta, ſeptingenta, pro qvadrincenta, ſeptincenta.

Et G in C tranſit, ut ago actus, tego tectus, lego lectus, tego texi vel tecſi, pingo pinxi vel pingſi.

Unde & C pro G & cōtra, in qvibuſdam nominibus propriis, ſcripta eſt. Qvintilianus lib. 1. cap. 12. Qvid qvæ ſcribuntur aliter, qvam pronunciantur. Nam & Cajjus C litera notatur. Nec Cnejjus eam literam, in præno-

prænominis nota, accipit, qvam ſonat.

Terentianus eandem cognationem & permutationem expoſuit his verbis:

Scribimus prænomen unum & C
 qvidem præponimus.
G tamen ſonabit illic: qvando Cneū
 enuncio,
Aſperum qvia vox ſonorem inter-
 polat.
Vel priores G Latini nōdum ab api-
 ce finxerant.
Cajjus prænomen proinde C nota-
 tur, G ſonat.
Sic amurca, qvæ vetuſtè ſæpè per C
 ſcribitur:
Eſſe per G, proferendam crediderūt
 plurimi.
Qvando ἀμοργὴ Gręca vox eſt, γάμμα
 origo præferat.

G etiam tranſit in S, ut ſpargo ſparſi, mergo merſi.

CONSONANS LA-
bialis.

H*Actenus conſonans lingvalis fuit: ſeqvitur labialis. Labialis eſt qvæ pulſu*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

& ictu labii inferioris formatur. Etſi enim labium etiam ſuperius nonnihil moveatur: tamen inferius præcipuè pulſat: Et pulſat non tantũ labrum ſuperius, ſed etiã dentes. Qvare hinc præcipuè diſtinctio petenda eſt. Hæc conſonans labialis ergo, os ferè clavdit: & labiis contractis, inſtar poſteriorum vocalium profertur. Unde & naribus magis reſonat, & contracta etiam dici poteſt. Hujjus avtem minor eſt natura numerus. Hic enim loca pauciora diſtincta ſunt: Qvibus pulſus variari & diſtingvi poſſit. Atqve hinc fit, qvod homines loqventes avt canentes hiare ferè videantur. Qvod plures ſint conſonantes lingvales, in qvibus os hiat: qvã labiales, in qvibus os clavditur. Hîc etiam ſoni ferè bini ſimiles ſunt.

LABIALIS LABIO-dentalis.

L*Abialis duplex eſt: labii unius avt utriuſqve. Unius eſt, qvæ labio inferiore ad dentes ſuperos applicato, formatur: & labiodentalis dici poteſt. ut V & F.*

V

V, EV vel VE, labio inferiore nonnihil con-

contracto,& interiore ſui parte,levius dentes premente,lenius efflatur,ut Aeneid.5.

Brevibusq; vadis, fruſtraqve vocantem.

Hæc conſonans magnam etiã,cum ſecunda vocali contracta u, cognationem habet. Unde & facilè hæc in vocalem per Diæreſin ſyllabæ tranſit: Et vocalis in hanc per craſin: ut ſolvit ſoluït. Unde & hæc conſonans Græcos & Romanos magna ex parte fefellit. Nec ſatis vis ejjus hactenꝰ intellecta eſt. Eiq; idem ferè qvod Je accidit: Diſcrimen tamẽ ſoni vocalis & conſonantis hîc manifeſtius eſt,qvam in Je fuit. Nam in u vocali, labrũ inferius,dentes nec tangit,nec pulſat. Qvod utrumq; in v conſonante fit. Et hæc poſitionẽ ſequente conſona,facit. Qvæ res conſonantem eſſe oſtendit à vocali natura & ſono diſtinctum. Qvare ei figura & nomen, dandũ eſt: ut fecimus. Uſus ejjus in omnibus lingvis eſt. Sed qvoniam hæc etiam conſonans & ejjus uſus non ſatis hactenus perſpectus & explicatus eſt, nos hiſtoriam & doctrinam ejjus altius repetemus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

DE V APUD HEbræos.

HEbræi ergo hanc etiam conſonantem à vocali figura ו, *& nomine vau diſtinctam habent: Quam & ante & poſt vocalem uſurpant.*

Ante vocalem, ut:

וָלָד valád diſſyllabum, proles.

וַשְׁתִּי váſti triſyllabum, nomen mulieris.

וְהָאוֹר vehaór, triſyllabum: & lux.

Poſt vocalem, ut:

שָׁלֵו ſchalév: diſſyllabum, ſalvus.

פִּיו piv, monoſyllabum, os ejjus.

Verum ut Jod, ita & vau, antequam vocales punctis ſcribi cæperunt: etiam pro vocali o & u, ſcripta eſſe ab Hebræis videtur. ut ſentit Elias Levites. Atq; ita & vocalis & conſonantis nota fuiſſe. Quod Græci & Latini ex parte ſecuti forte ſunt.

DE V APUD GRAEcos.

GRæci vau conſonantem ante vocalem communiter non proferebant. Sed pri-

vatim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

vatim tantum. Communiter enim ypſilon ſeorſim ut vocalem, protulere, ut:

ὕαλος, hyalos, triſyllabum.

ὕελος, hyelos, triſyllabum.

Aeoles autem privatim hanc conſonantem ante vocalem proferebant. Et eam figura & nomine, à vocali diſtinxerunt. Ac figura F vel Ⅎ, uſi ſunt. Nomine autem duplici uſi ſunt: primo digamma, qvod geminum gamma ſonat, & ex figura ſumptum eſt. Qvæ duobus gamma Græcis coniunctis, hoc modo, ⅂ ſimilis eſt. Altero vero vav. Qvod Hebraicum eſt: ab Hebræis ſumptum, & ex ſono ipſo factum eſt. Sic ergo ſcribebant & proferebant. Fελένην velénen, Helenam: δημοφάFων, λαFοκάFων, Demophavon, Lavocavon, ut eſt apud Priſcianum pagina 11. & 12.

Poſt vocalem communiter Græci omnes ypſilon ut conſonantem proferunt, præſertim poſt alpha & epſilon, ubi & poſitionem conſona ſeqvente, facit. Nam poſt omicron, omicron & ypſilon, vocalem u ferè ſonabant, ut ſupra docuimus. Poſt Jota vel ita, ypſilon rarior eſt, & ut vocalis y, profertur per Diæreſin, ut ἴϋγξ, lynx, ἰϋγμος, lygmos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

clamor. De Alpha Plutarchus teſtis eſt. Alpha, inqvit, Jota & Ypſilon, ſequente, & σύμφωνον, conſonante utitur.

Grammaticæ etiam Græcæ ſcriptores pleriq; de Ypſilon poſt vocalem, in eadem ſyllaba, tradunt, eam proferendam eſſe, ut v conſonantem αὐλὴ qvaſi avla, εὖρος qvaſi Evrus. Qvod qvid eſt aliud dicere qvam conſonantem eſſe?

Poſt alpha ergo conſonans eſt & poſitionem facit, ut:

ναῦς, navs, monoſyllabum, navis.
αὐλὸς, avlos, diſſyllabum, tibia.
αὐλεῖν, avlejn, diſſyllabum, tibia canere.

Poſt epſilon conſonans eſt & poſitionem facit, ut:

ζεῦς, zevs, monoſyllabum, Jupiter.
εὖρος, Evrus, diſſyllabum, Evrus.
εὕδω, hevdo, diſſyllabum, dormio.

Sed Grammatici Græci hic tamen vulgo hactenus ypſilon non conſonantem ſed vocalem eſſe putarunt. Unde & hîc diphthongus facta av, ev. Sed omnes hic errarunt: ſoni vocalis & conſonantis ſimilitudine: & figuræ ejjuſdem & nominis homonymia decepti.

cepti. Ad quam homonymiam tollendam, figura cum nomine, conſonanti huic propria, neceſſaria eſt.

DE FIGURA V, APUD Græcos.

Ut nemo hactenus de conſonante hîc cogitavit: ita etiam de figura conſonantis nemo cogitavit. Grammatici quidem Græci recentiores vocalem hîc u conſonam, quam tamen non agnoverunt, punctis quæ vocant Diæreſeos, diſcernunt: ut ἄϋλος, ἄϋπνος. *Sed diſtinctio per figuram certior & commodior eſſet.*

Quod commodiſſimè fieri poteſt: ſi figura vocalis uſitata v, conſonanti tribuatur, & vav more Hebraico, & Aeolico appelletur. Pro vocali autem, ſcribatur figura Latina y, quæ eſt tantum ypſilon caudatum, Qua in vocibus tantum Græcis ſcribendis, Latini uſi ſunt: Et nomine yta, vel kybbutz Hebraico more appelletur, ut ἄyλος, ἄyπνος.

DE V APUD LAtinos.

L*Atini hanc conſonãtem, & ante & poſt vocalem, proferunt. Et ante vocalem*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

qvidem, conſonantem eſſe, partim confitentur & docent: partim negant avt dubitant.

DE V ANTE VOCAlem, ſyllabam inchoante.

V *Av ante vocalem, partim ſyllabam inchoat: partim conſonantem ſeqvitur. Qvando ſyllabam inchoat, conſonantem eſſe fatentur: Qvod ab Aeolibus didicêre, ut in vadum, verbum, vis, vola, vultus, ſervus, navita. Atq; hîc Latini qvidam more Aeolum, etiam figuram & nomen huic conſonanti tribuerunt.*

Priſcianus pag. 11. v vero loco conſonantis poſita, eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos, qvam apud Aeoles digamma F. Unde ei à plæriſq; hoc nomen datur, qvod apud Aeoles habuit olim F digamma, id eſt vav, ab ipſius voce profectum: teſte Varrone & Didymo, Qvi id ei nomen eſſe oſtendunt, pro qvo Cæſar hanc figuram Ⅎ ſcribere voluit. Qvod qvamvis illi rectè viſum eſt: tamen conſvetudo ſuperavit. Hæc Priſcianus. Atq; idem etiam alii tradunt.

Teren-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Terentianus ita ſcribit:

Verſa vice, ſi ſit prior v, ſeqvatur illa:
Cum dico, vide: contulit I ſonum priori.
Aſt ipſa manet tempore, qvo ſonabat antè.
Vocalibus hoc & reliqvis prædita ſervat,
Vt vade, veni, vota refer, teneto vultum.
Unde Aeoliis litera fingitur digammos,
Qvæ de numero ſit magis conſonantium:
Vocalis in iſtum magè qvam verſa ſit uſum,

Vav ergo ſyllabam inchoans Grammaticis Latinis conſonans eſt: ſicut Aeolibus.

DE V ANTE VOCAlem, conſonam ſeqvente.

INterdum vav ponitur inter conſonantē quæ ſyllabam inchoat: & vocalem in eadē ſyllaba ſeqventem. Conſonans autem præce-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

dens eſt ferè S, Q, vel G. Atq; hîc Q in primis pro C ſcribebãt olim & hodie etiam ſcribitur. De vi autem v, variæ opiniones erant. Plæriq; vocalem eſſe putarunt. Diphthõgum tamen hîc non fecerunt.

Qvintilianus lib. 12. cap. 10. Duras, inqvit, & illa conſona, ſyllabas facit, qvæ ad conjungendas demum ſibi ſubiectas vocales, utilis eſt, aliàs ſupervacua: ut eqvos & eqvum ſcribimus.

Sic & Terentianus:

Namq; Q pręmiſſa ſuper u, ſimul mugit ſibi,
Syllabam non editura, ni comes ſit tertia
Qvælibet vocalis, illis hoc & exemplis proba.
Namq; eqvos vel æqvor, qveſtus avt aqvam ſcribimus.
Et qveo & qverela, qvercus & qvater, Q prædita eſt.

Sed aliter Priſcianus pag. 8. Q verò, ait, propter nihil aliud ſcribenda videtur eſſe, niſi ut oſtendat ſeqvens u, ante vocalem, in eadem ſybaba poſitam, perdere vim literæ.

Et pag. 22. Eſt, inqvit, qvando amittit v

vim

vim tam vocalis, qvam cõſonantis. Ut cum inter Q & aliam vocalem, ponitur: ſicut jam commemoravimus, ut quiſqvam. Hoc idem plerumq; patitur, etiam inter G, & aliqvam vocalem, ut ſangvis, lingva. S qvoqve antecedente v, & ſeqvente a vel e, hoc idem ſæpe fit ut ſvadeo ſvavis, ſveſco ſvetus, Hæc Priſcianus. Ubi qvaſi in ſalebris hærere videtur.

Verum contra Priſciani ſententiam, hoc etiam v conſonantem eſſe probat, primum argumentum cavſæ efficientis. Si enim proferas voces eas, qvas recitat Priſcianus: & ſimiles alias, qviſqvam, ſangvis, lingva, ſvadeo, ſvavis, ſveſco ſvetus: ſenties labrum inferius dentibus ſuperis admoveri, cum v in iis vocibus profertur. Deinde aliarum cõſonantium exemplum ſuffragatur. Nulla enim conſonans ideò naturam avt genus conſonantis mutat. Qvia ſeqvitur aliam conſonantem in eadem ſyllaba. Conſonantes quidem, qvo plures in una ſyllaba concurrunt, eo magis altera alteri cedit & ſeſe accommodat: Sed nulla tamen conſonantis naturam amittit. Sicut & conſonans omnis vocali, qva cum jungitur, etiam ſonum ſuum ac-

commodat, & pro vocali quodammodo mutat: & tamen conſonans eſſe non deſinit.

Quod vero ad hunc locum attinet: Priſcianus hoc loco ſibi parum cōſtare videtur. Vult enim v in ejjuſmodi vocibus vocalem eſſe: & tamen affirmat eam amittere vim & vocalis & conſonantis. Id eſt, nec vocalem, nec conſonantem eſſe. Quæ est manifeſta contradictio: perinde ac ſi diceret: Est vocalis & non eſt vocalis. Deinde alterum omnino membrum falſum erit. Nam ſi litera est, avt vocalis, avt conſonans erit. Omnis enim litera avt vocalis avt conſonans est.

Postremo, alibi pag. 3. & 4. affirmat Priſcianus, v in ejjuſmodi vocibus qvibuſdam. ſonum habere literæ Græcæ ypſilon, id eſt, vocalis, in his dictionibus. Quæ quis, quæ & pingue, ſangvis, lingva. Verum hoc primum ab altero loco diſcrepat. Ubi affirmat v amittere vim & vocalis & conſonantis. Si enim ſonat, ut ypſilon, jam vocalem ſonat: nec vim vocalis amittit. Deinde hoc ut falſum repræhenditur. Neqve enim vocalem ypſilon, ſed conſonantem vav ſonat.

Scaliger lib. 1. cap. 8. Illud qvoque, inqvit, falſum

falſum erit, qvod veteres prodidêre: v cum poſt G vel Q, præcedit avt e, avt i, avt æ, Græcæ vocalis y vim obtinere. Neqve enim ullum ſonum ſimilem gerit. Si enim ita eſſet, Græci ipſi non tam laborarent. Haberent enim ad manus, ſuam literam: & ſcriberent ΗΥΙΝΤΟΣ: *Qvod apud nos eſt Qvintus. Sed ipſi & ſcribunt* ΚΟΙΝΤΟς *Et pronunciationem illam, nullo modo poſſunt aſſeqvi. Ergo hoc vav etiam contra Priſcianum conſonans eſt.*

Neq; obſtat, qvod vav poſt Q liqveſcat, neqve poſitionem faciat, ut in aqva, eqvus, liqvidus, aliqvis. Nam eadem ratione R & L liqveſcunt, cum ponuntur poſt aliam conſonantem, ut in patris, Atlas. Neqve tamen propterea conſonantes non ſunt, avt eſſe deſinunt.

DE V POST VOCALEM.

VAv poſt vocalē in primis & mediis ſyllabis vocum Latinarum, freqventius eſt, & conſona ſeqvente, ſemper poſitionē facit: ut audio, havrio, Evrus, Evge. In ultimis rariſſimū eſt: & ferè monoſyllaborū tātum i-

ut ſunt avt,havd,lavs,favx,fravs,hev,hevs, ſev,nev,vev.

De hoc ergo v & Priſcianus, & alii omnes Grammatici, hactenus cæcutivére, & in errore verſati ſunt, ex quo nemo ſe explicare potuit. Priſcianus quidẽ cum aliis nonnullis, de jod veritatem ex parte olfecit. Sed idem, cum aliis omnibus Græcorum opinione & avtoritate faſcinatus, de conſonante, hoc loco, nihil videre potuit. Omnes enim hic vocalem eſſe putarunt: & inde diphthongum au & eu Græcorum more fecerunt.

Hîc igitur argumentum Priſciani, quo Jod conſonantem eſſe probat: de vav etiam locum habet: idq; nobis pro avtoritate Priſciani erit. Nam utriuſque literæ & Jod & vav, eadem hic ratio eſt: & idem quaſi jus Sei & Titii. Quo jure Jod conſonans eſt: eodem quoque vav. Unde & Priſcianus pag. 9. eas quaſi ejjuſdem naturæ literas, conjungit. Et pag. 229. Non mirum eſt, inquit, j conſonantem in vocalem tranſire: cum v quoq; idem patiatur. Quaſi dicat: Quod ad genus vocalis & conſonantis attinet: eadem eſt utriuſq; literæ ratio.

Quid ergo Priſcianus de Jod ait? Jod, inquit,

quit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

qvit, in vocativis Pompej, Vultej, non poteſt cum vocali in unam ſyllabam coäleſcere: niſi loco conſonantis accipiatur. Hæc Priſcianus. Concludamus de vav. Ergo vav etiam poſt vocalem, non poteſt cum ea in unam ſyllabam coaleſcere: niſi conſonantis loco accipiatur. Coaleſcit avtem. conſonans igitur erit.

Qvod igitur alibi à Priſciano ſcriptum eſt: vav poſt vocalem ſcribi non poſſe: animadvertendum eſt. Faſſum eſt enim pag. 28. vav, inqvit, id eſt, digamma, in fine ſyllabæ inveniri non poteſt. Unde cum antiqvi AF pro AB ſcriberent: mutata eſt F in B & ſcriptum AB. Hæc Priſcianus parum rectè. Poterat enim æqvè av vel aF, ſcribi & proferri atqve AB: Sicut ſcribitur hev, avt, lavs. Et pag. 13. v, inqvit, conſonans ante conſonantē poni non poteſt. Ac proinde B pro v conſonante, ſcriptum eſt, in voce cælebs. Eſt enim cælebs, qvaſi cæleſtium vitam ducens. Hæc Priſcianus itidem parum cavte. Nam poteſt æqvè cælevs ſcribi & proferri, atqve hevs, & Græcè βασιλεὺς. Priſciano ergo rectius judicanti, v etiam poſt vocalem conſonans eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

DE FIGURA V APUD Latinos.

Claudius Cæſar, hujjus conſonãtis figuram olim propoſuit: ab Aeolibus ſumptam F vel Ⅎ. ut ſupra ex Priſc. dictum eſt.

Scaliger lib. 1. cap. 40. figuram V *proponit, ſed eam uſus non probavit.*

Petrus Ramus figuram V vel v proponit. Quam ex ipſo uſu ſumpſit: Typographi, ait in ſcholis, nonnulli tacito conſenſu, figuram vav conſonæ, hanc nempe v, pro digamma illo Aeolico, induxerunt: & figura videtur aptior: propter affinitatem, cum vocali u: & certè jam nobis uſitatior. Itaq; quod ratio jam pridem ſvaſerit: & uſus tacitus approbavit: negligendum non arbitramur. Hæc ille. Sed hanc figuram etiam Germani, Dani & alii, præſertim Typographi uſurpant. Sed ante vocalem tamen. Hæc autem figura omnium commodiſſima videtur, etiam propter cognationem, cum figura Græca v vav.

Theologus quidam Gallus, magni nominis, tractatum nuper edidit: de Franciæ linguæ pronunciatione. Is in eo tractatu, Pe-

tri Ra-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tri Rami conſilium laudat : quod pro duabus conſonantibus, duas novas figuras j & v propoſuerit : ſed factum nonnihil improbat: Quod v ſit figura vocalis Græcæ ypſilon: ſed factum etiam Rami probari poſſe, hinc intelligi poteſt. Hæc ergo hujjus conſonantis figura in lingvam Græcam, Latinam, & alias, literis Latinis utentes, rectè & commodè aſſumi poteſt: & ante & poſt vocalem ſcribi.

DE V IN LINGVA Danica.

Danica noſtra lingva, præſertim Cimbrica, multum hac conſonante utitur. Quare & hac figura magnopere indiget.

Vav ante vocalem eſt, ut vact vigilia excubiæ. væt pondus, ved intelligentia, vid amplus vaſtus. vod madidus. Et conſona præcedente ‿, ut ſvort niger, ater. Qvinde mulier, qvol carbo. hvas acutus, hvid albus.

Vav poſt vocalem, ut avl agricultura, avten veſper. ø v oculus. Sæpius autem eſt, præcedente conſona, ut ravn corvus,

rov qvies, raav ſiligo præda. Sav ſuccus arborum, ſãv ſerra, sõv dormire, kov ſylva. Lav ſocietas, collegiũ. lav humilis, lãv aptare. lõv fides, promittere. lø̄ v folium, l ø v vivere. Nãv rodere, navr terebrum, n ø̄ v pugnus, tenax, tãvs tacitus, tov lana, duo, funis navticus. tvyvl dubium, dav dies, dø v ſurdus, kyv cõtentio, hãv hortus, hav mare ◡, havn portus, hõv avla, h ó v altus, mõticulus, collis, hvẽvs crabro, javn plan⁹, gãv donum munus, gavn labor commodum, võv periclitari, v ø̄ v tela, v ø v texere, favn amplexus, ulna, bø̄ v flectere. Pãv Papa, mãv ventriculus, &c.

Qvidam præſertim Typographi in lingva Germanica, & noſtra, vocalem & conſonantem hanc, diſtingvunt figuris, 𝔳 ſimplicis & 𝔴 dupliciis.

Itali hodiè huic conſonanti libenter præponunt G, initio dictionum. Jovianus de aſpiratione lib. 1. ubi hanc literam vocalem eſſe putavit. Qvid? inqvit, qvod cum litera G apud Latinos, nuſqvã jungatur literæ vav, ante vocalem, in prima dictionis ſyllaba: ſed avt in media, vt langveo, avt in ultima dictionis ſyllaba, ut pingvis: eò deventum eſt:

ut omnis Italia non paucas quidem dictiones habeat à Gva, Gve & Gvi, incipientes. Eſt quotidie nobis in ore Gvardia & pro cuſtodia & pro excubiis. Idq; nomen multorũ etiam oppidorum eſt. Et Gverra pro bello: & quod licet Latinum, tamen corruptum Gvaſtare, p vaſtare, & Gvalterius & Gvido & Gvilermus. Quid quod Varius Veronenſis, doctus vir, tamen in hoc, à multitudine non diſſentiens, nomini ſuo, quod Romanum eſt (à Varo enim, ſeu malis varrio, ſit Varinus) G præponebat ſemper, & Gvarinũ ſcribebat. Hæc Jovianus.

COGNATIO V.

V cum H cognata eſt. Priſcianus pag. 12. Sciẽdum, inquit, quod hoc ipſum Aeoles quidem ubiq; loco aſpirationis ponebant F digamma: effugientes ſpiritus aſperitatem. Nos autem in multis quidem, non tamen in omnibus illos ſequimur. ut cum dicimus, veſpera, vis, veſtis.

Et ante Priſcianum Terentianus quoque docuerat: heſperum veſperum, henetos, venetos, ἕσιαν veſtam ἕσῆτα veſtem, facta eſſe.

Terentianus:

Nominũ multa inchoata literis vocalibus
Aeolicus uſus vertit,& digammon præficit.
Aeolica dialectos avtem miſta eſt Italæ.
Heſperum cum dico Græcè, veſperũ cognominat,
Ἑςία ſic veſta facta, veſtis ἐσθὴς dicitur.
Qvos Homerus dixit Ἑνετὰς, ille venetos avtumat.
V qvoqve vocalibus Græcis præponitur,
Ἔαρ eſt multis in uſu, & magis poëticum eſt.
Ἦρ enim nativa vox eſt, ille ver hoc dictitat
Et viola flos nuncupatur, qvem Græci vocant ἴον.

Donatus qvoq; in locum Andriæ Terentianæ. Ex ara verbenas hinc ſume: verbenas qvaſi herbenas dici annotat.

S qvoq; tranſit in v, ſecũdum Priſcianũ ut paſco pavi, qvieſco qvievi, aſciſco aſcivi.

F, EF

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

F

F, EF vel FE, labro inferiore medio, exteriori ſui parte, dentes ſectores arctius premente, per dentes & labij oras, copioſè efflatur, ut:

Forſitan & Priami fuerint qvæ fata reqviris.

Hanc literam Terentianus, cum primam ſemivocalem feciſſet: ſic definit:

Imum ſuperis dentibus deprimens labellum
Spiramine leni: velut hyrta graja vites:
Hanc ore ſonabis: modo qvæ locata prima eſt.
Adverſa palati ſupera premendo parte:
Obſtansqve ſono, qvem ciet ipſa lingva nitens.
Validum penitus, neſcio qvid cogit inire.

Capella, in F, inqvit, dentes labrum inferius deprimunt. Figura F apud Aeoles, ut ante dictum eſt, proximè conſonantis v olim fuit: poſt verò ad hanc conſonam notandam traducta eſt à Latinis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Priſcianus pag.28. Antiqui Romanorum, Aeoles ſequentes, loco aſpirationis eam ponebant. Habebat autem hæc F litera, hunc ſonum, quem nunc habet v, loco conſonantis poſita. Unde antiqui af pro ab ſcribere ſolebant. Sed quia non poteſt vav, id eſt, digamma in fine ſyllabæ inveniri: ideo mutata eſt F in B. ſiſilum quoq; pro ſibilum, teſte Nonio Marcello de doctorum indagine, dicebant. Et pag.7. F Aeolicum digamma, quod apud antiquiſsimos Latinorum, eandem vim, quã apud Aeoles, habuit. Eum autem prope ſonũ quem nunc habet F, ſignificabat P cum aſpiratione. Sicut etiam apud veteres Græcos pro Φ, ϖ & η. Unde nunc quoque in Græcis nominibus, antiquam ſcripturã ſervamus, pro Φ, p & h ponentes, ut Orpheus, Phaëton. Poſtea vero in Latinis placuit verbis, pro p & h, f ſcribi, ut fama, filius, facio. Loco autem digamma V pro conſonante. Quod cognatione ſoni videbatur affinis eſſe digamma, ea litera.

Et paulò poſt, f locum Φ Græci apud nos obtinet. Quod oſtenditur in his maximè dictionibus. Quas à Græcis ſumpſimus, hoc eſt, fama, fuga, fur.

Item

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Item pag. 14. Nos tamen qvoq; in Latinis dictionibus pro ph f ſcribere cæpimus, ut filius, fama, fuga niſi qvod eſt aliqva in pronunciatione ejus literæ differentia f cum ſono ph: ut oſtendit ipſius palati pulſus, linguæ labiorum pag. 8. Hoc tamen ſcire debemus, qvod non tam fixis labris eſt pronuncianda f qvomodo p & h.

Videntur avtem Græci, Φ ſuum majori conatu & pleniori ſpiritu pronunciaſſe, qvam Latini F. Qvintilianus lib. 1. cap. 5. Græci, inqvit, ita aſpirare hæc ſolent: ut pro Fundanio Cicero, teſtem, qvi primam ejus literam dicere non poſſet, irridet.

Diomedes aliam inter f & Φ differentiã facere non videtur: Niſi qvod f in Latina voce, ph in Græca adhibeatur.

Hebræi hunc ſonum vel non habuerunt vel vav vel pe leni, expreſſerunt, ut hodie.

Germani propter cognationem, perperam v pro f ſcribunt & proferunt.

LABIOLABIALIS.

Labialis unius labii ſic fuit. Seqvitur labii utriuſq;. Ea eſt, qvæ labii utriuſq; compreſſione formatur. Unde & naribus magis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

reſonat, & labiolabialis dici poteſt: Ea duplex eſt, conjuga & ſolitaria. Conjuga, quæ comparem ſono ſimilem habet, & in mediis quaſi labiis naſcitur: ut P & B.

P

P, EP vel PE, è mediis labiis arctius compreßis erumpit. ut Aeneid. 2.

Barbarico poſtes avro, ſpoliisqve ſuperbi.

Hanc Terentianus ſic deſcribit:

——altera contrà
Pellit ſonitũ de mediis foras labellis.

Hebræi hanc conſonantem figura פ, *& nomine pe exprimunt. Unde* π *&* ϖ, *pi Græcum & p Latinum factum eſt.*

B

B, EB vel BE, labiis mediis levius compreßis, intus quaſi continetur Aeneid. 2.

Barbarico poſtes avro ſpoliiſqve ſuperbi.

Terentianus ſic eam deſcribit:

Nam prima per oras etiam labella figit:
Velut intus agatur ſonus.

Hebræi hanc literam figura ב, *nomine Beth exprimũt. Vnde figura inverſa B Græca & Latina figura facta eſt: & nomẽ Græcum*

cum Betha. Græcum autem β, ut Latinum B, proferendum eſt. ut Cratini locus ille, ex ovium balatu βῆ, βῆ, demonſtrat. Græci vero recentiores, vitiosè pronunciant, ut v conſonantem.

COGNATIO P.

P mutatur in B ut Burrhus pro Pyrrhus. Qvintilianus lib. 1. cap. 5. Sed B qvoq; in locum aliarum dedimus aliqvando. Unde Byrrhus, pro Pyrrhus eſt. Hæc ille. Et B contra in P mutatur: Sic ſuppono eſt pro ſubpono. Sic cum in thematis verborum eſt b, præteritis ferè mutatur in P. Priſcianus libro 12. Mutatur b in p, ſeqvente S, ut: ſcribo ſcripſi, nubo nupſi. Sic & in aoriſtis & præteritis Græcis. κρύβω ἔκρυψα, *vel* κεκρυπσα, κέκρυπται: λείβω ἔλειψα *vel* ἔλειπσα, λέλειπται. *Priſcianus eo loco, hujjus mutationis cauſam generalem euphoniam adducit: rectius autem ſpecialē & propriā, ex affinitate literarum, attuliſſet: ut primo libro ꝓpoſuit.*

Hinc etiam fit, ut ſcripta interdum b, tamen p ſonat. Qvintilianus libro 1. Qværi, inqvit, ſolet in ſcribendo præpoſitiones, ſonum qvem junctæ efficiūt, an qvē ſeparatæ,

obſervare conveniat. ut cum dico, obtinuit. Secundam enim b literam ratio poſcit, aures magis audiunt P.

B privatim tranſit in f, ut officio, ſufficio, ſuffio. Sic brugis pro frugis olim fuerat. Fab. lib. 1. cap. 5. in v ut aufero. in G ut ſuggero, in h ut loco Quintiliani citato. Belena pro Helena. Quod & Priſcianus pag. 13. B item in C, ut occurro, ſuccurro: Item in d. unde & apud Fabium eſt lib. 1. cap. 5. Nec non eadem fecit, ex duello, bellum. Unde duellios quidam dicere auſi ſunt bellios. Hæc ille. Item in R, arripio, ſurripio. In S, ut jubeo juſſi.

M

Solitaria eſt: quæ cōpare caret: nempe M.

M, EM vel ME, labiis arctiſſime, undique compreſſis, & clauſis, intus mugit, & naribus maximè reſonat. ut Aeneid. 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Terentianus ſic eam deſcribit, cum tertiam ſemivocalem feciſſet:

At tertia clauſo quaſi mugit ore.

Et alibi:

Mugit intus abditū & cæcum ſonū.

M, ait

M,ait Capella,labiis imprimitur. Qvintilianus lib.12.literam mugientem appellat. Qvid,inqvit,qvod pleraq; nos, illa qvaſi mugiente litera clavdimus. Qva nullum Græcè verbum cadit?

Qvintilianus lib.9. cap.4. Et illa, inqvit, Cenſorii Catonis. Dic' hanc,æq; in litera in e mollita. Qvæ in veteribus libris reperta, mutare imperiti ſolent. & dum librariorum inſcitiam inſectari volunt, ſuam confitentur. Atqve eadem illa litera, qvoties ultima eſt: & vocalem verbi ſeqventis ita contingit: ut in eam tranſire poſſit: Etſiamſi ſcribitur: tamen parum exprimitur, ut:

Multum ille,&c. *Et*
Qvantum erat.

Adeo ut penè cujjuſdam novæ literæ ſonum reddat. Neq; enim eximitur, ſed obſcuratur: & tantum aliqva inter duas vocales velut nota eſt, ne ipſæ coëant.

Qvod verò Qvintilianus ait, M obſcurari in carmine, id Priſcianus vocat ſubtrahi. Priſcianus pag.23. Finalis, inqvit, dictionis ſubtrahitur m, in metro plærumq;: ſi à vocali incipit ſeqvens dictio, ut:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Illu' expirantem transfixo pectore
flammas.

Et idem eodem loco, indicat, id olim non ſemper factum eſſe, vetuſtiſſimi tamen, inquit, non ſemper eam ſubtrahebant. Ennius in 10. Annalium:

Inſignita ferè tum millia militũ octo.

Hæc ille. Quod verò Priſcianus citat ex Ennio, id etiam ex Lucretio perſpici poteſt lib. 1.

Corporum avgebit numerum, ſummamq; ſeqvetur.

Hebræi מ *figuram, nomine Mem, hic habent. Unde* μ *Græcum & Latinum factum eſt. Hîc autem obſervandum eſt, S ut conſonantem principem, ante omnes ſolitarias conſonantes, in una ſyllaba efferri poſſe, Ante tres palatinas, ut SRA, SLA, SNA & unam labialem M, ut SMA. In reliqvis autem conjugis: tantum ante priores, efferri naturâ poſſe. ut STA, SCA, SJA, SVA, SPA. Ante poſteriores, D, H, G, F, B, naturâ efferri non poſſe. Atqve hoc in conſonis conjugis, diſponendis, ex parte ſecutus ſum.*

CO-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

COGNATIO.

Sonus M literæ, cũ ſono extremæ lingvo-palatinæ N, admodum cognatus eſt, qvare & ejjus naturam imitatur, & in eam facilè tranſit.

Priſcianus. M tranſit in N & maxime d vel t, vel c vel q ſeqventibus, ut: tam tandem, tantum tantundem, idem identidem, num nuncubi: Et ut Plinio placet, nunqvis, nunqvam, anceps pro amceps. Item ſeqvente f, ut anfractus. Vocali verò ſeqvente, intercipit b, labialem proximam. ut ambitus ambeſus, ambuſtus, ambages, nec non etiam in comburo combuſtus, idem fit.

Contra N mutatur in M, ſeqvente m. Unde illud Qvintiliani lib. 1. Immunis, ait, illud N qvod veritas exigit ſeqventis ſyllabæ ſono victum, m gemina commutatur. Item ſeqventibus cognatis b vel p, Autoribus Plinio, Papyriano & Probo, ut imbellis, improbus, ut eſt apud Priſcianum libro primo.

Mutatur & M in b, ut ſcamnum ſcabellum. Ne miretur puer, cur è ſcamno fiat ſcabellum, ait Qvintilianus libro 1. cap. 5.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Et B in M tranſit, ut ſummitto, globus, glomus, Priſcianus pag. 27.

Mutatur & S in M, & contrà: ut rurſus, rurſum. Priſcianus pag. 25. Atq; hactenus conſonans labialis fuit.

DE CONSONANTE gemina & factitia.

HActenus conſonantes ſimplices & naturales fuère, numero quindecim. Quibus an plures per naturam eſſe poßint: ut Scaliger lib. 1. cap. 20. ſentire videtur, neſcio. Ego, non eſſe poſſe, puto. Atque hæ conſonantes ad perfectam locutionem & ſcriptionem neceſſariæ ſunt, & ſufficiunt. Atque his omnia omnino perfectè & accuratè dici & ſcribi poſſunt, quæ homo mente concipit, & ad alios efferre vult.

Præter has autem quædam conſonantium figuræ, in linguis quibuſdam extant: quæ ab hominibus non neceſſario factæ videntur: & duos ferè ſonos conſonantes complectuntur: in quas reſolvi poſſunt: & ſcribendi tantum compendia ſunt: quibus facile ſcriptura

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ptura & Grammatica carere poteſſet, niſi uſus eas recepiſſet & retineret. Imo verò manifeſta ſunt ſcripturæ vitia & incommoda. Una enim figura duas literas complecti ſcriptionis vitium, & lectionis impedimentum eſt. Hæ autem pro arbitrio hominum varie excogitari poſſunt. Et pro linguis variis variant.

GEMINA GRÆCA & Latina.

HUjus generis conſonans in lingua Græca multiplex eſt: Quod novum inventum eſſe, partim Palamedis, partim Simonidis, partim Epicharmi, Plinius lib. 7. cap. 56. oſtendit.

DUPLEX.

HAec ergo duplex eſt. Duplex & aſpirata. Duplex eſt, ita enim appellant, quæ S geminum, vel S & aliam conſonam complectitur. Et gemino proinde ictu profertur. Quod in medio & fine dictionis præcipuè ſentitur. Initio enim dictionis, poſterior S nempe, ſimplex tantum ferè ſonat: In priori autem conatus magis quàm ſonus literæ

eſt. Hæc autem non ſolum lectionem obſcuram & ambiguam: ſed etiam derivationis rationem in declinatione & conjugatione obſcuram reddit.

DUPLEX LINGVALIS.

Hæc duplex eſt. Lingualis & labiolingualis. Lingualis eſt, quæ gemino linguæ ictu profertur ut Ζ *&* Ξ.

Ζ Ζῆτα *zeta, in medio dictionis maximè duplex eſt. Nullam enim vocem claudit. Initio autem, ut ante dictum eſt,* S *ſimplex valet. Unde ex* ζάκυνθος, *Latini Saguntum fecerunt, ut ait Priſcianus. Et valet vel* s s *geminum. Sic enim Latini reddiderunt ut* πατρίζω, *patriſſo,* πιτίζω *pitiſſo,* μάζα *maſſa,* μεζέντιος *meſſentius.*

Plavtus in Menæhmo.

Non atticiſcat, ſed ſiceliſcat, pro ἀττι-κίζει σικελίζει. *vel* δ *&* σ, *ut* φράζω *quaſi* φράδσω. *Unde & characteriſti-ca Aoriſti ſecundi eſt* δ, ἔφραδον. *Prior enim geminarum thematis characteriſti-ca eſt. Dores literarum Metatheſi, in* σδ *reſolvunt; ut* συρίζω συρίσδω, *ſic* βάζω βάσδω. *Unde vado Latinum eſt. Sic & Medentius dictum eſt, te-ſte Priſciano: ut & odor,* ἀπὸ τοῦ ὄζειν.

Capella refert Appium Clavdium hanc literam reformidaſſe, Quod dum expri-mitur: morientis dentes imitetur. Sed ma-gis incommoda cavſa, reformidanda eſſe videtur.

Primum enim duæ diverſæ literæ, ad duas diverſas ſyllabas pertinentes, in una litera confunduntur. Unde expeditius le-gitur φράδσω *quam* φράζω.

Deinde characteriſtica, temporum à the-

*mate derivatorum obſcuratur. Sic δ chara-
cteriſtica aoriſti ſecundi ἔφραδον magis ap-
paret in φράδσω, qvam in φράζω.*

*Latini Græcam figuram z & nomen aſ-
ſumpsére: idq; poſtremo: Qvod ordo litera-
rum Latinarum oſtendit. Qva tantum in
Græcis vocibus uſi ſunt, ut zelus, zizania.
Qvidam* ז *Hebræum compoſitum eſſe volũt
& valere ts vel ds & proinde cum z Græco
convenire, ſed id in noſtra pronunciatione
hodierna parum obſervatur avt ſentitur.*

*Ξ, ξι Latinis eſt x, & nomine inverſo ix.
Priſcianus pag. 4. x noviſſimè a Latinis aſ-
ſumpta, poſt omnes ponitur literas. Qvibus
Latinæ dictiones egent. Valet CS & GS.*

*Hujjus poteſtatem indicat Terentianus,
cum de phi dixiſſet:*

Mixtura ſecundæ geminum parat ſo
norem.
Qvia C ſimul, & qvę prior eſt, jugan-
do niſum,
Retrorſum adactam ſolidant pre-
muntq; vocem.

*Varro etiam docet ix, valere CS & GS.
Qvid ſimilius, inqvit, videtur, qvàm in his
eſt extrema ſyllaba, crux frux? Qvas qvi av-*

dit

dit voces, avribus poteſt diſcernere nemo. Cũ eaſdem non eſſe ſimiles, ex aliis verbis intelligamus. Qvod cum ſint cruces & fruges: & de his extremis ſyllabis exemptum ſit C, ex altero g, ut ex C & S crux ex G, S, frux. Qvod item apparet, cum eſt ademptum S, Nam fit unum cruci Alterum frugi.

Priſcianus idem libro primo repetivit, x duplex, modo pro CS, modo pro GS accipitur, ut apex apicis, grex gregis.

Verum hanc literam & Qvintilianus & Cicero improbarunt. Qvintilianus lib. 1. Noſtrarum literarum ultima x, ait, Qva tamẽ carere potuimus: ſi non qvæſiſſemus.

Cicero in Oratore. Qvin etiam verba ſæpè contrahuntur, non uſus cavſa, ſed avrium. Qvomodo enim veſter axilla, ala factus eſt: niſi figura literæ vaſtioris. Qvam literam etiam è maxillis, è taxillis, vexillo & paxillo, conſvetudo elegans Latini ſermonis evellit.

Sic igitur Tullius. Unde intelligimus hac litera non tantum Romanos carere potuiſſe ut Qvintilianus ſentit: ſed etiam voluiſſe: cum de induſtria ſic ejjus vaſtitatẽ fugerint.

Et qvidem ſi juſta cavſa fugiendum ſo-

num literæ hujjus, veteres illi principes putaverunt: Multo juſtiorem, figuram ejjus fugiendam putaviſſent. Nam CS & GS diſtinctius ſonos ſuos exprimunt. Cum enim Rex & grex ſcribitur, dubium eſt utrum regs grecs, an recs gregs legendum ſit. Quare, ut duplex eſt conjunctio CS & GS: Ita duplici charactere, opus fuit.

Sed qvamvis duplex figura facta fuiſſet tamen incommodum, quod in zeta fuit, hîc etiam rediret: Quod una figura duæ diverſæ literæ, ad duas diverſas ſyllabas pertinentes, compræhendantur: ut texo pro tecſo. Quod incommodum eſt iis, qvi ad lectionem inſtituuntur. Deinde characteriſticam caſuum & temporum Græcorum & Latinorum obſcurat. Quæ ex ſimplicium figurarum ſcriptione integra, magis appareret: ut in κόλακς κόλακος, ἅρπαγς ἁρπάγος, ἀλώπηκς ἀλώπηκος, μύρμηκς μύρμηκος, κύλικς κύλικος, τέττιγς τέττιγος, πέρκς πέρκος, φλόγς φλόγος, κάλυκς καλυκος, αὔτυγς αὔτυγος. *Et in Latinis, fornacs fornacis, facs facis, harpags harpagis, fæcs fæcis, ſilecs ſilicis, codecs codicis, cornics cornicis, ſtrygs ſtrygis, fornics fornicis, maſtigs*

miſti-

maſtigis, ſtygs ſtygis, bombycs bombycis, vocs vocis, crucs crucis, frugs frugis, arcs arcis, phalangs phalangis, conjungs conjugis.

Et in verbis, ut λέγω, λεγσω, ἔλεγσα λέλεγσαι, *rego regſi, dico dicſi, duco ducſi. ut ergo Simonidis inventione* Z: *Sic Palamedes inventione* Ξ, *nullum Grammaticæ adjumentum attulit: ſed detrimentum potius.*

LABIOLINGVALIS.

L*Abiolingvalis eſt, qvæ ictu labii & lingvæ formatur, Eſtq; una,* Ψ.

Ψ, ψ, *valet ps vel Bs. Sonat ps ut* αἴθιοψ αἰθίοπος, *Aethiops Aethiopis. BS. ut* ἄραψ ἄραβος, *arabs arabis.*

Hanc Latini, ut non neceſſariam repudiarunt. Niſi qvod Clavdius Cæſar pro ea antiſigma)(dicitur ſcripſiſſe. Priſcianus lib. I. pag. 25. Pro ψ, *inqvit, Clavdius Cæſar, antiſigma, hac figura)(ſcribi voluit. Sed nulli avſi ſunt antiqvam ſcripturam mutare.*

Priſcianus eodem loco Græcorum inventum nonnihil lavdat. Sed hujjus compendii eadem eſt commoditas, qvæ duorum ſuperiorum. Et ſicut Latini hac carere potuere: ita & duabus ſuperioribus. Nam & lectio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ambigua eſt, & incommodum eſt duas duarum ſyllabarum literas in unam compingere. Et characteriſtica rurſum, in caſibus & temporibus verborum Græcorum obſcuratur. Quæ in integra ſcriptione magis perſpicua eſſet. ut ὤπς ὠπὸς, κυκλωπς κυκλωπος, ὕδρωπς, ὕδρωπος, ἄραβς ἄραβος, φλέβς φλεβος, χάλυβς χαλυβος: *& in verbis* τύπτω τύπσω, ἔτυπσα, τέτυπσαι.

Hæc initio ſyllabæ, S tantum exprimere videtur: Si enim p & s conjungere coneris: in p conatus magis, quam ſonus eſſe, & labia comprimi magis, quam ſonare videntur: ut in ψάλμος, *pſalmus.*

ASPIRATA.

Aſpirata eſt, quæ H & aliam lingualem includit, ut Θ, Χ, Φ. *Sed Hæ non magis quam cæteræ, neceſſariæ fuiſſe videntur. Poterant enim ſi opus fuiſſet,* τ, κ, π, *non aliter atq;* ῥ, *cum apice ſcribi, aut poſt* τ, κ, π, *figura antiqua h, ſcribi, ut veteres Græci ſcripsére, quam ſcripturam Latini retinuerunt. Priſcianus pag. 14. Atq; hic etiam locum habent ea, quæ de h poſt conſonantẽ ſuprà diximus.*

Θ θῆτα *theta, ab Hebræo teth eſt, ut in* τ,

dictum

dictum eſt. Latinè ſcribitur th, ut θησαυρὸς *theſaurus. Hac nota in judiciis utebantur Græci. Cum enim morti adjudicabāt reum, calculo ſuo inſcribebant* Θ*, indicantes eum eſſe* θανατωτέον *morte afficiendum. Unde Perſius Satyr.4.*

Et potis es vitio nigrũ p̃figere theta.

Et Martialis lib. 7.

Noſti mortiferum qvæſtoris Caſtrice ſignum? (vum.
Eſt operę preciũ diſcere Theta no-

Iſlandi noſtri conſonantem compoſitam peculiarem habent, ut ex Bibliis Iſlandica lingva impreſſis apparet, hac forma Þ *vel* þ *qvæ valet th, ut Iſlandi qvidā me docuerũt.*

X, χι, *chi, ut* πι *Latine ſcribitur, CH. ut* Χιονὴ *Chione, nobile ſcortum apud Juvenalem. De qva ita Martialis:*

Digna tuo cur ſis, indignaq; nomine dicam.
Candida es & nigra es, Non es & es Chione.

Sic χλάμυς *chlamys,* χάλυψ *chalybs ſcribitur.*

Latini hac figura ſuum ix exprimunt, unde error extitit ſcribēdi XPS. Qvod Græ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ci per abbreviationem ſcribũt ΧΡΣ. *x enim Latinum ſimile eſt* χί *Græco,& p Latinum ſimile* ΡΩ *Græco. Qvidam huc referunt* ח *chet &* ע *chain Hebraicas, qvæ tamẽ etiam ad C referri poſſunt.*

Φ φῖ, *phi vel ſi. Latinè ſcribitur ph, & ſonat ferè f Latinum. Ea ſcriptura, in vocibus tantum Græcis Latini utuntur. ut Philoſophia, Philomela, Sophiſta. Exceptis paucis in qvibus f pro* φ *Græco ſcribitur, ut pro* φημὴ *fama,* φυγὴ *fuga,* φηγὸς *fagus,* φὼρ *fur,* μορφὰ *Doricè, forma Latine, & ſic in aliis qvibuſdam. Sed de* φ *plura in F dicta ſunt. Plato in Cratylo, ſpiritum vehementiorem & concitatio: e n eſſe ait, in* ζ ψ, φ.

HEBRAICA.

H*Ebræi unam figuram habent conſonãtis geminæ, ſuæ linguæ propriam, nempe* ש *Schin, Qvæ puncto in dextro cornu poſito notatur, ut S ſimplex, puncto in cornu ſiniſtro* שׂ *Et valet S & C vel K, ut* שֵׁם *Skem nomen. Hæc avtem ſatis commoda eſt, Qvod in duas ſyllabas non diſtrahatur.*

Hanc literam cum pronunciare non poſſent Ephratæi: cæſi ſunt uno die qvadraginta duo millia, ut eſt Judicum 12.

Litera

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Litera *nativa ſimplex & neceſſaria*

- Vocalis
  - Lingvalis *rictus*
    - Magni — A
    - Mediocris — E
    - Minimi — I
  - Labialis orbis
    - Plenioris — O
    - Mediocris — U
    - Minimi — Y
- Conſona
  - Lingvalis
    - Lingvopalatina
      - Mobilis — S, R
      - Fixa — L, N
    - Lingvodentalis
      - Supera — T, D
      - Infera
        - Interior — C, H
        - Exterior — J, G
  - Labialis
    - Labiodentalis — V, F
    - Labiolabialis
      - Conjuga — P, B
      - Solitaria — M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

LIBER SECUNdus, De diverſę doctrinę incommodis.

HACTENUS *vera literarũ doctrina fuit. Nunc diverſæ doctrinæ incommoda quædam indicanda ſunt. Vulgaris igitur literarum doctrina apud Græcos & Latinos præſertim, ſemper ſpinoſa & variis difficultatibus plena fuit. Ex quibus, qui eam doctrinam accuratè explicare conati ſunt, ſe extricare non potuerunt.*

Unde & ea doctrina, prolixè & variè admodum ab ipſis tractata eſt. ut eſt videre apud Terentianũ & Priſcianum inprimis. Et apud duos ex recentioribus, Julium Cæſarem Scaligerum de cauſis linguæ Latinæ: & Petrum Ramum in Scholis Grammaticis. Hæc autem literarum difficultas ſemper

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

diſcentibus inſvavis fuit. Unde & illud fortaſſe eſt apud Horatium 1. Serm. Sat. 1.

—ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores: elementa velint ut diſcere prima.

Et eadem doctrinæ difficultas, doctrinam vitioſam arguit. In qva, vitia & Incommoda fuerint: qvæ eam difficilem reddiderint, & explicationem ejjus impedierint. Qvæcunqꝫ enim præcepta in artibus ita difficilia & obſcura ſunt, ut intelligi & explicari omnino neqveāt, in iis vitium aliqvod eſſe non eſt dubium. Eaqꝫ nullo pacto vera & legitima ſunt. Qvod in tribus primis rationis & orationis artibus, maxime eſt conſiderandum. Artes enim inventæ ſunt & conſtitutæ: ut diſcendi compendia, non diſpendia ſint, utqꝫ docendi & diſcendi ratio ſit facilior. Ut avtem in omnibus artibus & artium partibus: Ita maximè in primis omnis doctrinæ elementis, difficultas amolienda, & facilitas qværenda & amanda eſſet. Difficultas avtem tum tolli poteſt. Si cavſa ejjus primum cognita & perſpecta fuerit.

Hujjus ergo difficultatis hæc præcipua

cavſa

cavſa fuiſſe videtur: qvod avtores plærique non ſatis naturam & cavſas literarum naturales ex ore humano obſervarint: & ex iis literarum figuras æſtimarint & deſcripſerint. Ars enim omnis vera, naturæ tantū obſervatio & deſcriptio & qvaſi pictura eſt & eſſe debet. Unde eſt illud Iuvenalis Sat. 14.

Nunqvam aliud natura, aliud ſapientia ſvadet.

Et doctrina cum natura congruens & conſentiens & facile intelligitur, & intellecta tenaciter hæret. Contra vero, quæ à natura diſcrepat, avt cum ea pugnat: obſcura fit, difficilis & inſvavis.

Cum avtē in artibus ſemel à natura diſceditur & aberratur, pavlatim unus error alium gignit, & error errorem velut anſa anſam trahit. Omnis enim error fœcundus eſt: Et error initio parvus, in fine fit magnꝰ, ut eſt apud Ariſtot. lib. 1. de cælo cap. 4. ϗ ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, πολλὰ συμβαίνει. Uno incommodo dato & conceſſo, plura ſeqvuntur. Id etiam in doctrina literarum accidit: in qva plura incommoda, unum ex alio, nata ſunt, Qvorum qvædam tantum præcipua nos notabimus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

PRIMUM INCOMMODUM Literarum ataxia & hyſterologia.

INcommoda ergo, in doctrina literarum, alia Generalia, alia ſpecialia ſunt. Generale incommodum eſt omnium literarum: idq; ἀταξία & ἀμεθοδία: Quod ſine vera diſtinctione generum & ſpecierum, literæ vulgo proponi & tradi ſoleant. Unde & in variis linguis, ordo fere varius eſt. Et quidē apud Græcos & Latinos, vocales cum conſonantibus cõfuſè & permixtè proponuntur. Et cõſonantes cognatæ à cognatis procul diſjunguntur.

Græci hoc ordine literas recitant:

α ϐ γ δ ε ζ η ϑ ι κ λ μ ν ξ ο ϖ ρ σ τ υ φ χ ψ ω.

Atque his figuris etiam numeros eodem ferè ordine exprimunt. Quod in libris Homeri numerandis, etiam factum eſt.

Latini hoc ordine:

A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.

Quod quo conſilio factum ſit neſcio,

Plutar-

Plutarchus in Sympoſiacis lib. 9. Quæſt. 3. de ordine literarum Græcarum uſitato, aliquid quærit: ſed id non explicat. Quærit enim cur prima litera ſit alpha: cujjus rei cū Protogenes Grammaticus, & Ammonius, aliquas rationes reddidiſſent: Zopyrio Grammaticus, quaſi Palæmon, eas deridens: Non, inquit, ratione aliqua, ſed fortuito caſu, numerus & ordo literarum, qualis eſt, extitit. ut hoc quoq; temere evenit: ut primus Iliadis verſus, totidem cōſtet, quot primus Odyſſeæ ſyllabis. Quod ipſum quoq; extremis eorū verſibus contigit.

Scaliger lib. 1. cap. 38 ordinem diſcendi Elementa, ſibi explicandum & monſtrandū proponit. Sed id admodum inconſtanter facit: & ordinem eum prorſus inexplicatum, & dubium magis relinquit.

Ἀταξία *igitur & vulgaris literarum diſpoſitio, fortuita & rationis expers, primum in literis diſcendis incommodum eſt. Ordo enim & Methodus plurimum ad docendi & diſcendi facilitatem facit & rei cujjuſq; cognitionem & memoriam adjuvat.* οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις, *Id eſt: Nihil hominibus neque utilius*

neq; præſtantius ordine: ait Xenophon in Oeconomico. Et Cicero de Oratore: Ordo eſt, qvi maximè lumen affert memoriæ.

Qvi ergo literas rectè & facile docere velit, ut ordinem artis adhibeat, neceſſe eſt. Qvi ordo ſi in omni doctrina & arte, maximè lavdatur & reqviritur. Non eſt in primis omnis doctrinæ & artis elementis, negligendus avt contemnendus. Etſi enim elementorum figuræ, propter pavcitatem, etiam ſine ordine artis, ab ingenioſis præſertim, facilè diſci poſſint & memoriæ mandari: tamen ordine adhibito: rectius, certius & facilius diſcuntur. & tenacius memoriæ inhærent. Cumqve literæ ex partibus oris, lingva, labris, palato, dentibus deſcribantur: nemo tam ſtupidus eſſe videtur, qvi qvidem lingvæ, labrorum, palati, dentium diſcrimen norit, qvi non literas ita deſcriptas, & facilimè diſcere, & tam diu meminiſſe, qvam diu lingvæ, labiorum, palati, dentium ſuorum meminerit, qveat. Nulla avtem, ne minima qvidem diſcendi commoditas, negligenda eſſe videtur. Atqve hæc etiam literarum Phyſica & Grammatica naturalis, voluptatem etiam qvandam habere

bere videtur. Quæ pueros allicere, & ſtudia eorum excitare potius quam langvefacere, poſsit.

Atque hoc ipſum cum viderent & ſentirent homines ſapientes, artiumqve authores & Magiſtri, differentias & ſpecies literarum quæſiverunt. Ut inde ordinem literarum artificioſum inſtituerent. De qua re nunc dicendum eſt. Sed illud prius monendum eſt: quamvis à nobis ordo artis in literis tradendis lavdetur: non tamen veterem literarum ordinem à nobis repudiari prorſus. Neqve enim ille propter libros antiqvos, præſertim lexica, hoc ordine ſcriptos & numeros literis expreſſos negligi poteſt. Quare expoſita literarum doctrina & ordine naturali: ordo literarum antiqvus ſubiici poteſt: & velut antiqvitatis ſacrum qvoddam monumentum, perpetuo in Grammaticis conſervari.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

SECUNDUM INCOMmodum, conſonantium diviſio incommoda.

Primum apud Græcos & Latinos.

Speciale incommodum quarundam tantum literarum, nempe conſonantium eſt. Idq; duplex, plurium & pauciorũ. Plurium & quidem omnium primum conſonantium Diviſio incommoda est apud Græcos & Latinos in ſemivocales & mutas. Cum enim Grammatici viderent ἀταξίαν *illam ad literas diſcendas & docendas, incommodum eſſe: ut ordinem instituerent, diſtinctio quæſita est: distinctio enim ordinem parit. Primꝰ igitur diſtinctio literarum in vocales & conſonantes facta est. Quæ naturalis & vera est. Cum autem rurſum conſonantium distinctio quæſita est: conſonans in ſemivocalem & mutam diviſa est. Atq; hæc diſtinctio antiqua quidem eſt: ſed minus tamen commoda. Et quidem ex Aegypto in Græciã veniſſe videtur. Literarum enim inventionem & distinctionem Plato tribuere videtur in Philebo & Phædro, homini cuidam*

Aegy-

Aegyptio Thevtho. Qvem in Phædro ait artes etiam Mathematicas reperiſſe. Verum antequam loca Platonis & Ariſtotelis recito: diligenter obſervandum eſt veteres avtores & Philoſophos, & Platonem & Ariſtotelem, interdum aliorum opiniones recitare, & conſveta magis qvam vera ſequi: præſertim cum obiter res attingitur: Interdum avtem vera potius qvam uſitata tradere: cum videlicet ſuo judicio uſi, accuratè rem expendunt. Id qvod in Ariſtotele & libris, qvi ei tribuuntur, eſt frequentius, qvam in Platone. Unde & crebræ ſunt in iis libris, ſententiarum & doctrinarum pugnæ & diſſentiones. Qvod qvi non obſervat: Ariſtotelem intelligere non poterit. Qvi ergo Ariſtotelis ſententiam qværit: varia ejjus loca, ut inter ſe conferat & diligenter expendat, neceſſe eſt. Sed nunc loca Platonis, Ariſtotelis, & aliorum recitabimus & expendemus.

In Philebo hanc diſtinctionem literarum exempli cavſa, recitat: ut inde diſtingvendi artem doceat. Ἐπειδὴ, *inqvit,* φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν εἴτε τις Θεὸς εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος, ὡς λόγος, ἐν Αἰγύπτῳ, θεῦθλινὰ τοῦτον γενέσθαι λέγων, ὅς πρῶτος τὰ φωνήεντα ἐν τῷ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ἀπείρῳ κατενόησεν οὐχ ἓν ὄντα, ἀλλὰ πλείω. Καὶ πάλιν ἕτερα, φωνῆς μὲν οὔ, φθόγγου δὲ μετέχοντα τινός. ἀριθμὸν δὲ τίνα καὶ τούτων εἶναι. τρίτον δὲ εἶδος γραμμάτων διεστήσατο, τὰ νῦν λεγόμενα ἄφωνα ἡμῖν. τὸ μετὰ τοῦτο διῄρει, τά τε ἄφθογγα καὶ ἄφωνα μέχρις ἑνὸς ἑκάστου καὶ τὰ φωνήεντα, καὶ τὰ μέσα, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον.

Id eſt: poſtqvam vocem infinitam animadvertit ſive Deus aliqvis, ſive divinus homo(qvalem fama refert hominem nomine Thevth in Aegypto extitiſſe) qvi vocales literas,in infinito eo,primum perſpexit: nec unam qvidem eſſe. ſed plures. Et alias item qvæ non vocis ſed ſoni cujjuſdam eſſent participes: illarumq; numerum qvidem eſſe cognovit. Tertiam deinde literarum ſpeciem diſtinxit: earum qvidem qvæ nunc à nobis mutæ dicuntur: Deinceps literas ſoni expertes & Mutas ad unam uſq; ſingulatim diſcrevit, & vocales & medias eodem modo. Hæc Plato. Qvibus tres literarum ſpecies facit Vocales,Mutas & Medias. Atq; hunc locum Platonis Galenus de placitis Hippocratis & Platonis lib.9.repetit.

In Cratylo autem ſic ſcribit: Ἀλλὰ τίς αὖ

εἴη

εἴη ὁ τρόπος τῆς διαιρέσεως, ὅθεν ἄρχεται ὁ μι-
μούμενος: ἆρα οὐκ ἐπείπερ συλλαβαῖς τε καὶ
γράμμασιν ἡ μίμησις τυγχάνει οὖσα τῆς οὐσίας,
ὀρθότατον ἐστι διελέσθαι τὰ στοιχεῖα πρῶτον: ὥ-
σπερ οἱ ἐπιχειροῦντες τοῖς ῥυθμοῖς, τῶν στοιχείων
πρῶτον τὰς δυνάμεις διείλοντο, ἔπειτα τῶν συλ-
λαβῶν. Καὶ οὕτως ἤδη ἔρχονται ἐπὶ τοὺς ῥυθ-
μοὺς σκεψόμενοι, πρότερον δ' οὔ. ΕΡ. Ναί. ΣΩ.
ἆρ' οὖν καὶ ἡμᾶς οὕτω δεῖ πρῶτον μὲν τὰ φωνήεν-
τα διελέσθαι, ἔπειτα τῶν ἑτέρων κατ' εἴδη. τά τε
ἄφωνα καὶ ἄφθογγα (οὑτωσὶ γάρ δήπου λέγου-
σιν οἱ δεινοὶ περὶ τούτων) καὶ τὰ οὐ φωνήεντα
μὲν, οὐ μέντοιγε ἄφθογγα.

Id eſt, Verum ecquis eſt diviſionis explicationisq; modus. Unde is, qui imitatur, imitationis capeſſit primordium? Nonne, quandoquidem imitatio eſſentiæ, literis & ſyllabis conſtat: rectiſsimum eſt, ut primum elementa dividantur? Quemadmodum qui rythmis dant operam, Elementorum vires initio dividunt atq; diſtinguunt: deinde ſyllabarum: deinde ad juſtam legitimamq; rythmorum conſiderationem accedunt, non prius. Her. certè. Soc. Nonne & conſentaneum eſt, nos hoc modo, primum dividere literas vocales, deinde reliquas ſecundum ſpecies.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Mutas videlicet (ſic enim loquuntur ii, qui harum rerum periti ſunt) & eas quæ vocales quidem non ſunt, neque tamen mutæ. Hæc Plato. ubi rurſum eadem Diviſio trimembris repetitur.

Et eadem in Theæteto breviter indicatur. ΘΕΑΙ. καὶ πῶς τοῦ στοιχείου τις ἐρεῖ στοιχεῖα: καὶ γὰρ δὴ, ὦ Σώκρατες, τό τε σίγμα τῶν ἀφώνων ἐστὶ, ψόφος τις μόνον, οἷον συρυττούσης τῆς γλώττης. τοῦ δ' αὖ βῆτα, οὔ τε φωνὴ οὔτε ψόφος, οὐδὲ τῶν πλείστων στοιχείων. *Id eſt: Quomodo verò quis elementi elementa dixerit? Nimirum Socrates, & ipſa S litera, eſt vocis expers litera, ſtrepitus quidam tantum, velut ſibilante lingua. B autem literæ, neque vox, neque ſtrepitus ullus eſt. nec complurium literarum.*

Plato autem hanc diviſionem magis ut uſitatam recitare, quam probare videtur. Nam apertè oſtendit illam ex ſcholis Grammaticorum & Muſicorum ſumptam eſſe. In Philebo exemplum diviſionis & Methodi Dialecticæ propoſitum: Exemplum, inquit, perſpicuum ex literis ſumi poteſt. Itaque in literis, quas didiciſti, Protarche, exemplum cape. Doctrina igitur literarum hîc obiter

propo-

proponitur, ut eam Protarchus in ſcholis didicerat. ut ab eo intelligi poſſet.

In Cratylo autem: ſicut, inquit, qui rythmis dant operam, primum literas dividunt, deinde ſyllabas. Et paulò pòſt: Sic enim loquuntur, qui harum rerum periti ſunt. Magis ergo ex aliorum quam ſua ſententia hãc Diviſionem Plato recitare videtur. Nam ipſe in Cratylo melioris diviſionis fundamentum etiam monſtravit, ut ſupra eſt dictum. Et Plato magis διχοτομίας, *id eſt, bimembres diviſiones, quam* τριχοτομίας, *id eſt, trimembres probat. Quoties* διχοτομία *fieri poteſt. In literis autem commodiſſimè fieri poteſt: in vocales & conſonantes. Et conſonãtes deinde in ſuas ſpecies dividi poſſunt. Neque Plato Mutas & Medias ſatis apertè definit & diſcernit.*

Ariſtoteles poſt Platonem, eandem diſtinctionem in poëtica cap. 20. recitat: φωνῆς, *inquit,* μέρη, τό τε φωνῆεν καὶ τὸ ἡμίφωνον καὶ ἄφωνον. ἐστὶ δὲ φωνῆεν μὲν ἄνευ προσβολῆς ἔχον φωνὴν ἀκουστήν. ἡμέφωνον δὲ τὸ μετὰ προσβολῆς ἔχον φωνὴν ἀκουστήν, οἷον τὸ σ, καὶ τὸ ρ. ἄφωνον δὲ τὸ μετὰ προσβολῆς, καθ' αὑτὸ μὲν οὐδεμίαν ἔχον φωνὴν, μετὰ δὲ τῶν ἐχόντων

τινα φωνὴν, γινόμενον ἀκουστὸν, οἷον τὸ γ. καὶ τὸ δ.

Id eſt, Vocis partes ſunt vocalis & ſemivocalis & Muta. Eſt autem vocalis, quæ ſine ullo ictu, vocem habet, quæ audiri poſſit. ut α & ω. Semivocalis eſt, quæ cum ictu vocem habet: quæ exaudiri poſſit: ut S & R. Muta, quæ cum ictu, per ſe quidem nullam omnino vocem habet, adjuncta vero iis, quæ aliquam vocem habent, exaudiri poteſt, ut G & D.

Hæc Ariſtoteles. Qui eas, quas Plato Medias appellavit, ἡμίφωνα, id eſt, ſemivocales appellat. Deinde etiam ſemivocales & Mutas apertius definire & diſtinguere conatur, ſed utriusq; definitio minus ſolida eſt. Nam quod ſemivocalem definit, quæ per ſe vocem habeat, ſine vocali: falſum eſt. Nulla.n.conſonans ſine vocali ſonum habet. Quod autem Mutam definit, quæ per ſe vocem nullam habeat: id omnibus conſonantibus commune eſt. Quare Mutam à ſemivocali non diſtinguit.

Sed ipſe etiam Ariſtoteles non tam videtur hanc diſtinctionem probare, quam ut uſitatam recitare. Nam & ipſe meliorem diſtin-

diſtinctionem conſonantium monſtrat alibi: ubi φυσικώτερος eſt: & magis naturæ myſteria aperit: præſertim de partibus animalium lib.2.cap.16. Et de Hiſtoria animalium lib.4.cap.9.ubi & omnes conſonantes ἄφωνα, id eſt, Mutas appellat. Et in poëtica eodem loco, indicat ſe non exactè de iis diſſerere. Nam, inqvit, de his ſigillatim contemplari, in Metricis convenit. Et pavlò poſt: Harum contemplari differentias metricæ eſt.

Poſt Platonem & Ariſtotelem plærique Grammatici præſertim, hanc cõſonantium diviſionem non amplexi & ſecuti ſunt: & magis definiendis & diſtingvendis ſpeciebus, illuſtrare ſtuduerunt.

De hac ergo ſic ſcribit Priſcianus pagina qvarta: Sunt ſeptem ſemivocales, qvæ ita proferuntur, ut inchoent ab e litera, & deſinant in naturalem ſonum, ut f, l, m, n, r, s, x. Sed x ab i inchoat. Mutæ avtem à ſe incipientes, & in e vocalem deſinentes: exceptis K & Q qvorum altera in a, altera in u finitur, ſua conficiunt nomina. H enim magis eſt aſpirationis nota, qvam ſit litera.

Deinde pag. 5. ſic rurſum ſcribit: Conſonantium aliæ ſunt ſemivocales, aliæ ſunt Mutæ. Semivocales ſunt, ut plæriſq; Latinorum placuit, ſeptem f, l, m, n, r, s, x. Sed f multis oſtenditur modis Muta magis, de qva pòſt docebimus. z qvoq; utimur in Græcis dictionibus. Hæ ergo, hoc eſt, ſemivocales, qvantum vincuntur à vocalibus: tantum ſuperant mutas. Semivocales autem ſunt appellatæ. Qvæ plenam vocem non habent, ut Semideos, ſemiviros appellamus, non qvi dimidiam partem habent deorum vel virorum: ſed qvi pleni dii vel viri non ſunt.

Reliqvæ ſunt Mutæ, ut qvibuſdam videtur, numero novem, b, c, d, g, h, k, p, q, t. Et ſunt qvi non benè hoc nomen putant eas accepiſſe. Cum hæ qvoq; partes ſint vocis. Qvi neſciunt, qvod ad comparationem bene ſonantium, ita ſunt nominatæ. Velut informis mulier dicitur, non qvæ caret forma, ſed qvæ eſt malè formata. Et frigidum dicimus eum, non qvi penitus expers eſt caloris: ſed qvi minimo hoc utitur. Sic igitur Mutas, non qvæ omninò voce carent, ſed qvæ exiguam partem vocis habent. Hæc Priſcianus.

Is ergo Semivocales & Mutas, accuratius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

qvàm Ariſtoteles, definire & diſtingvere conatur. Cujjus doctrinæ ſumma eſt. Semivocalis eſt, qvæ à vocali incipiens in ſe deſinat, & plenam vocem non habet. ut f,l,m,n,r,s, x,z. Muta eſt, qvæ à ſe incipiens, in vocalem deſinat, & exiguam partem vocis habet. ut: b,c,d,g,h,k,p,q,t. Hæc doctrina Priſciani eſt. Nunc qvid in ea incommodi ſit, videbimus.

A Priſciano igitur duplex differentia ad Semivocalem & Mutam definiendam & diſtingvendam affertur: nempe nomen & ſoni ſeu vocis magnitudo. Sed utraq; minus firma eſt.

Primum enim qvod ad nomina literarū attinet, ea non ſunt naturalia: ſed ab hominibus facta. Qvare inde nullum literarum diſcrimen naturale & conſtans ſumi poteſt. Nomina enim, ut & figuræ literarum mutari poſſunt. Nec in omnibus lingvis eadem ſunt. Et in lingva Latina omnes conſonantes, & ante & poſt vocalem proferri poſſunt. Ante, ut es, er, el, en, ed, et, ec, eh, ej, eg, ev, ef, ep, eb, em. Poſt, ut ſe, re, le, ne, de, te, ce, he, je, ge, ve, fe, pe, be, me. Qvod cum ſit, perit diſcrimen ſemivocalis & Mutæ, ex pronunciatione & nomine diverſo, petitum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Adhæc differentia hæc eandem literam apud Græcos Mutam, apud Latinos ſemivocalem facit, ut Ξ vel χ. Nam eædem apud Græcos Ξι à conſonante incipit, & in vocalẽ deſinit: apud Latinos ix, à vocali incipit & in conſonantem deſinit. Atq; idem fit in Mi, Ni, Rho, Item Lamda & ſigma, &c.

Porro Priſcianus, qui hoc diſcrimen tradit in illud committit, dum contra aliorum ſententiam, f, quæ à vocali incipiat, ad Mutas refert. Et zeta, quæ in vocalẽ deſinat, ad ſemivocales. Atq; hoc incommodũ etiã Scaliger, de cauſis linguæ Latinæ lib. 1. c 9. notavit.

Quod autem ad ſoni & vocis copiam & exilitatem attinet, ea vel in omnibus conſonantibus eadem eſt: vel ita obſcura, vix ut diſtingui & obſervari poſſit. Quod deprehendi poteſt, ſi omnes conſonantes eodem modo proferas, vel ante vocalem, ut se, re, le, ne, de, te, ce, ge, he, je, ge, ve, fe, pe, be, me, vel poſt, ut es, er, el, en, ed, et, ec, eh, ej, eg, ev, ef, ep, eb, em.

Et quod Priſcianus ait: Semivocalem nõ habere plenã vocem: Mutam verò exiguam partẽ vocis habere, quid differãt, an intelligi poſſit, neſcio Tum quidem intelligi poſſet: Si Priſcianus primũ plenam vocẽ nobis deſini-

ret:

ret: deinde gradus & partes vocis non plenæ & exiguæ mōſtraret & definiret. Qvod fortè facere non potuit, nec poteſt qviſqvam.

Ex hac ergo obſcuritate factū eſt, ut hæc diſtinctio ſemper inter Grammaticos controverſa fuerit: & ſemper de numero & ordine ſemivocalium & Mutarum dubitatum ſit. De qvibus Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Qvod ipſe Priſcianꝰ indicat. Semivocales, inqvit, ſunt, ut pleriſqꝫ Latinorum placuit, ſeptem, &c. Et reliqvæ ſunt Mutæ, ut qvibuſdam videtur, numero novem. Item: Et ſunt, qvi non benè hoc nomen putant eas accepiſſe: Cum hæ qvoqꝫ partes ſint vocis. Et pag. 7. Sciendū tamen, qvod hic qvoqꝫ error à qvibuſdā antiqvis Græcorū Grammaticis, invaſit Latinos: qvi φ, θ, χ, ſemivocales putabant: nulla alia cauſa, niſi qvod ſpiritus in iis abundet, inducti. Qvod ſi eſſet verū, deberent, c qvoqꝫ vel t, addita aſpiratione, ſemivocales eſſe. Qvod omni caret ratione. Spiritus enim poteſtatem literæ non mutat: unde nec vocales addita aſpiratione, aliæ fiunt, & aliæ ea dempta.

Ac privatim, F qvidem litera, cum à Terentiano & aliis, inter Semivocales relata

eſſet: & prima ſemivocalis facta: Priſcianus reclamavit. Miror, inqvit, hanc inter ſemivocales potuiſſe artium ſcriptores. Et alibi F multis oſtenditur modis Muta magis. Et Mutam eſſe aliqvot validiſsimis argumẽtis probare conatur pag. 7.28. & 39. Sed ejus argumenta rurſum collegit & confutat Scaliger de cavſis lingvæ Latinæ lib. 1. cap, 15. Qvam diſputationem breviter aſcribemus.

Argumenta igitur Priſciani hæc ferè ſunt.

Primum. F pro Muta Græca φ, & ph uſurpatur. Sic pro φημὴ, φυγὴ, φῶρ, primũ phama, phuga, phur. Poſtea fama, fuga, fur ſcriptum eſt. Ergo F Muta eſt.

Secundum. Nulla ſemivocalis ponitur ante l vel r, in eadem ſyllaba. At F ponitur.

Tertium. Nulla ſemivocalis ante L vel R poſita, communẽ ſyllabam facit. At F facit.

Qvartum. Omnis ſemivocalis in medio dictionis geminatur. ut arrha, olla, flamma, Ennius. At F non geminatur in ulla dictione niſi pro b vel d vel x vel s in præpoſitionibus poſita, cum ſeqvẽs dictio, ab eadem incipit conſonante. ut officio, ſufficio, affectus, efficio, difficilis, diffundo.

Qvin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Qvintum. Omnis ſemivocalis dictionem aliqvam clavdit. At F nullam clavdit: niſi ſui nominis dictionem.

Sextum. In præterito perfecto verborũ, nulla ſyllaba, vel in principio vel in fine geminatur: niſi qvæ à muta incipit, ut tondeo totondi, pendeo pependi. At ſyllaba ab F incipiens, geminatur, ut fallo fefelli.

Septimum. F nihil habet ſemivocalis, niſi nominis prolationem. Qvæ à vocali incipit. Sed nominis prolatio, poteſtatem & ſubſtantiam literæ mutare non debet.

Hæc præcipua Priſciani argumenta ſunt qvibus probare conatur F Mutam eſſe. Ad ea ſic ferè reſpondet Scaliger, ut neget argumenta, vera eſſe, qvæ pro veris ſumit Priſc.

Primum igitur, qvod Priſcianus φ & ph mutam eſſe dicat, negat. P enim ſpiritu aſſumpto, fieri ſemivocalem. ut & θ & χ. ut & P aſſumpto ſibilo. in Ψ.

Secundum itidem negat. Petit enim qvod probare debet. Nam f ſemivocalis ante L vel R ponitur, ut flo, fravs.

Tertium, ut rejiculum rejicit. Eſt enim ſupervacaneum, poſito & cõceſſo proximo. Nam ſi nulla ſemivocalis ante L vel R poni-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tur: neq; ullum ibi effectum habere poteſt. Quod ſyllabam nõ facit, ſyllabam etiam communem efficere non poteſt.

Ad qvartum, negat F non geminari. Dicitur enim offa. Neq; intereſt, utrum per ſe an per permutationem geminetur. Satis eſt enim geminari. Geminantur & aliæ Mutæ: ut obba, occa, reddo, Juppiter, rettulit. Neque ſemivocales omnes geminantur. Non enim duplices. Et veteres nullam conſonantem geminarunt.

Ad Qvintum. Negat neceſſe eſſe, ut omnia nomina ſemivocali clavdantur, nec conſeqvi. Si cæteræ ſemivocales clavdunt nomina. Igitur F etiam clavdere debere, ſi ſemivocalis eſt. Et AF olim pro ab, dictum eſt, teſte Priſciano, ubi F vocem clavſit.

Ad ſextum. Negat Mutas tantum in præteritis geminari, Nam in fallo fefelli: f ſemivocalis geminatur. Si in Momordi, M ſemivocalis. Et apud Græcos, ſemivocalis geminatur: in σέσηπε, λέλοιπε, μέμηνε, νένυφε.

Ad ſeptimum, qvod attinet, concedit nomen nõ mutare vim literæ. Sed tamen ut nomen magis competeret ſemivocali, Græcã appellationẽ invertiſſe veteres, & φι, dixiſſe ef.

Hæc

Hæc ferè Scaliger. Ad quæ quædam addi poſſunt. Primum enim Priſcianus non rectè, ex ſola Latina lingua, aut Græca, literarum naturam æſtimat. Literæ enim ſimplices, omnibus linguis communes ſunt, & earum natura ex pluribus linguis æſtimāda eſt. Deinde quod ad primum Priſciani argumentū attinet, id tale eſt, ut cōtra Priſcianum torqueri poſsit. Nam f etiam pro h, eodem autore, uſurpatur. Et ſic non eſſet omnino litera.

Quod ad ſecūdum & tertium & ſextum attinet reſponderi poteſt, propoſitionem ſyllogiſmi, ubiq; falſam eſſe: Eſt enim univerſale axioma, ex inſufficienti obſervatione & inductione collectum. Quod ubiq; evertitur. Si F pro ſemivocali ſumitur: & ei per inſtantiam opponitur.

Quod ad Quartum & Quintum attinet, primum ſyllogiſmus vitioſus eſt, nihil neceſſario concludens. Deinde quod Priſcianus, de f negat, in lingua Latina fieri: id in lingua Hebræa, Germanica & aliis fieri ſolet. ubi F & magis geminatur in medio dictionis & dictiones claudit.

Poſtremum occupatio quædam eſt. Poteſt enim Priſciano objici. At F nomē ſemivoca-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

lis habet. Ergo ſemivocalis eſt. Reſpondet Priſcianus: nomen non mutat poteſtatem & naturam literæ. Qvod diligenter eſt obſervandum. Nam hæc reſponſio Priſciani, quæ vera eſt, totam doctrinam Priſciani evertit, qvam ipſe ſuprà tradidit: de ſemivocalium & Mutarum differentia & diſcrimine, ex nominis prolatione.

Qvare ea differentia ſola vera eſſet: quæ ex ſoni copia & magnitudine ſumitur, ſed eam avt nullam eſſe: avt ita obſcuram, ut nō poßit facile obſervari, & certò notari, ex hac ipſa Grammaticorum diſputatione & controverſia perſpici poteſt. Si enim ea differentia vocis & ſoni in conſonantibus, per naturam certa & liqvida eſſet: de ea non tot ſecula, Grammatici dubitarent & litigarent.

Præterea, ſi differentia hæc in ſono maximè, ſine omni errore, notari & obſervari poſſet: ut S, R, L, N & M: qvas vulgo ferè ſemivocales appellant: vocaliores & ſonoræ magis videntur, qvam reliqvæ: Tamen hæc hujus differentiæ obſervatio, & conſonantium ex ea diſtinctio, in ſemivocales & mutas, prorſus ad literas docendas & diſcendas inutilis eſſet: & ad cantum magis

qvam

quam ſermonem ſpectare videtur.

Hæc enim diſtinctio nõ eſt ſumpta ex cauſis literarum, & organis naturalibus, quibus literæ formantur: ſed ex ſono adjuncto obſcuro & ambiguo: Quare, veram ſcientiam non gignit. Scire enim, ut ait Ariſtoteles, eſt rem per cauſas cognoſcere. Cum igitur hæc diſtinctio, ex cauſa ſumpta non ſit: nec veram conſonantium pronunciationem docet: nec earum ordinem naturalem oſtendit. Unde facile & citò diſci & memoria retineri poſſint.

Deinde hæc diſtinctio non ſolum parum utilis: ſed etiam noxia eſt. Nam hinc primũ ſubtilitates illæ natæ videntur, de literis primæ & ſecundæ euphoniæ apud Priſcianum pag. 5. Et Rhetorum doctrina, qua oratori etiam præſcribere voluerunt: quas literas in dicendo, ut aſperiores & minus benè ſonantes vitaret: quas ut ſuaviores & melius ſonantes frequentaret. ut eſt apud Dionyſium in Rhetoricis. & Fab. lib. 12. cap. 10. Quæ prorſus otioſa ſubtilitas eſt. Omnis enim literæ & conſonantes, partes ſermonis ſunt neceſſariæ: & ſonum & uſum in loquendo & dicendo, neceſſarium habent. Nec tam literarum,

quam verborũ & rerum delectus, in dicendo, ſapienti habendus eſt.

Deinde hæc eadem diſtinctio veræ & naturali diſtinctioni conſonantium adverſatur. Genera enim & ſpecies conſonantium, natura diſtinctas, confundit. Primum enim ſimplices & compoſitas, id eſt, naturales & factitias confundit. ut in ſemivocalibus ſimplices S L R, &c. compoſitas X & Z. Deinde lingvales & labiales permiſcet. Sic in ſemivocalibus, labiales duæ F & M, cum lingvalibus quatuor S R L N. In Mutis labiales duæ b & p cum lingvalibus d, t, c, g, &c. Confunduntur. Qvod magnum doctrinæ vitium eſt. Atqve hinc factum eſt qvod qvamdiu Grammatici hanc cõſonantium diviſionem retinuerint: veram & commodam, ex cauſis ſumptam diviſionem & deſcriptionem earum reperire non potuerint.

Hæc ergo diſtinctio conſonantium in ſemivocales & mutas: ut parum commoda aut neceſſaria, à multis Grammaticis, in doctrina literarum tradenda, neglecta eſt. Ac privatim à Grammaticis Hebræis repudiata eſt.

CON-

CONSONANTIUM IN-commoda Diviſio apud Hebræos.

HEbræi rectè judicarunt: conſonantes non ex ſoni copia & exilitate, ſed ex cauſis naturalibus & organis oris diſtinguendas eſſe: ſed iidem in cauſis obſervandis & diſtinguendis ex parte errarunt.

Grammatici igitur Hebræi quinq; literarum proferendarum cauſas, conſtituunt: nempe guttur, palatum, linguam, dentes, labia. Atq; inde conſonantes dividunt: in gutturales quatuor, אחהע *palatinas totidem* גיכק, *linguales quinq;* דטלנת, *dentales totidem* זסצשר *labiales quatuor,* ברכף.

Verum in hac diſtinctione, vitium eſt primum in ipſa diviſione, tum in membris ejjus. Primum igitur Diviſio ipſa vitioſa eſt. In ea enim primum diſtinctio conſonantium ex cauſis communibus petitur. ut enim os totũ: ita ſingulæ etiam oris partes, cujjuſvis conſonantis cauſæ communes ſunt. Deinde quod ad ſingularũ partium officiũ et propenſionẽ, in literis formandis attinet: cauſæ generales

& communes, cum cauſis ſpecialibus & propriis confunduntur. Guttur enim primum communis eſt omnium literarum, tam vocalium quam conſonantium cauſa. Quæ ſpiritum & vocem ori, ad literas omnes proferendas, ex pectore promit & ſuppeditat, non aliter atq; ciſta ventoſa in organo follibus inflata, fiſtulis ſpiritum ſuppeditat. Deinde lingva & labium inferius certo ſitu & motu, cauſæ ſunt ſpeciales, & quidem mobiles & agentes, vocalium & conſonantium omniũ: lingva quidem earum, quæ intra dentes: Labium verò earum, quæ extra dẽtes, formantur. Palatum autem & dentes, rurſum ſpeciales cauſæ ſunt, quietæ & patientes, vocalium & conſonantium lingvalium. Quare hæc diſtinctio generales & ſpeciales cauſas confundit. Ac proinde vitioſa eſt. Omnis enim diviſio, quæ generalia cum ſpecialibus confundit, vitioſa eſt. Diviſio enim legitima, id quod generale eſt, in ſpecies ſeu ſpecialia dividit.

Quod autem ad membra Diviſionis attinet, omnia, excepto ultimo, vitioſa ſunt. Primum quod gutturi quatuor conſonantes tribuit אחהע *Guttur enim nullas literas ſolum*

ſine

ſine lingva avt labiis format. Qvare nullius literæ cavſæ propria eſt. Sed omniũ cõmunis.

Qvod ſi avtem guttur pro interiori oris parte accipiatur: & has qvatuor literas ideo gutturales appellari velint: qvod in bucca interiori reſonant: Jam non ex cavſa, ſed ex ſubjecto loco appellatio ſumitur: & ad hanc cavſarum diſtinctionem non pertinet.

Avt ſi qvis huc pertinere contendat. tamen de hac ipſa gutturali pronunciatione, dubitari poteſt: an videlicet ea, in his literis proferendis, ſit neceſſaria, & an iis ſolis competat. Nam & Plato in Philebo ait: N imo ore pronunciari. Et ſi hæ omnes proferantur ה *&* א*, ut He,* ע *&* ח*, ut Chet: non ſolum gutture, ſed etiam exteriori oris parte, ad dentes proferri poſſe facilius videntur. Et qvidẽ omnes literæ, & interius & exterius in ore, proferri & ſonare poſſe videntur, & hominibus aliis ſermo in gutture aliis qvaſi in labiis naſci & ſonare videtur, pro varia natura & conſvetudine, privata avt gentis publica. Unde eſt illa admonitio Qvintiliani lib. 1. cap. 18. Ne patietur, inqvit, magiſter, qvi pueros docet, verba in favcibus avdiri: nec oris inanitatem reſonare, Nec qvod mi-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

nimè ſermoni puro, conveniat, ſimplicem vo-
cis naturam pleniore quodam ſono circum-
lenire. Quod Græci καταπεπλασμένον di-
cunt. Sic appellatur cantus tibiarum, quæ
præcluſis, quibus clareſcũt, foraminibꝰ, recto
modo exitu, graviorē ſpiritum reddũt. Hæc
ille. Atq; hinc etiam Græcũ verbum λαρυγ-
γίζειν, quaſi gutture loqui, factum videtur.

An vero has literas Judæi olim gutture
magis quam extimo ore aut has gutture ma-
gis quam alias literas, ſonuerint, dubitari po-
teſt: Etſi illi ſonuerũt: an ita nunc ſonare ne-
ceſſe ſit. Videndum enim, ne inani ſuperſti-
tione à Rabbinis obſtringamur. At tota ve-
tus ꝓnunciatio, in hac maximè lingua, pla-
ne ignota & incerta eſt: propter diuturnũ
gentis exilium. De qua re ſic ſcribit Pagni-
nus lib. 1. cap. 14. Inſtitutionũ Grammatica-
rum: His ita notatis, dicendum eſt de litera-
rum poteſtate. Ubi notandum eſt, quod He-
bræis hujjus tempeſtatis: non eſt ea in legen-
do peritia, & in memoratis literarum moti-
bus, ſive punctis, motio & pronunciatio, quæ
fuit apud antiquos Hebræos. Sed ut eorum
exigit captivitas, & per orbem vagatio, &
varias inter nationes miſſio: ita divinas le-

gunt

gunt literas. Et ſi in ſeptuaginta annis, qvibus fuerunt in Babel, ſuam electam lingvã oblivioni ferè tradiderũt (ſicut ſcriptum eſt Nehem. 13. 24. Et filii eorum, ex media parte loqvebantur Asdotice, & neſciebant loqvi Judaicè) qvanto magis, in tam longa captivitate? Dicam itaq; de literarum poteſtate, qvæ à Grammaticis ſunt mandata literis, et qvæ ab iis, qvi me docuerunt accepi. Hæc ille. Qvibus indicat veterem pronunciationem nunc eſſe ignotam. Qvare de ea, minus neceſſe eſt nos ſollicitos eſſe.

Deinde ex his qvatuor literis, tres, aleph, he, ain, ſæpe qvieſcunt, & nihil niſi vocalem additam ſonant. Qvare tum ad nullũ inſtrumentum oris referri poſſunt. Qvod avtẽ hæ qvatuor literæ peculiaribus punctis gavdeãt, id ſine guttulariũ appellatione doceri poteſt.

Secundum membrũ, Palato qvatuor conſonãtes tribuit גיכק. Sed hæ qvatuor, lingvæ, ut cavſæ generalis, ſunt: dentium avtem inferiorũ, ut cavſæ ſpecialis. Nam lingvæ mucro ad dẽtes inferiores devolvitur, dum has format. Hebræus avtẽ, qvi hujjus diviſionis avtor fuit, ex dorſo tantum lingvæ, has æſtimavit. Qvod ad palatũ ſurſum attollitur: dum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

mucro ad dentes inferos devolvitur: & inde palatinas appellavit. Cum ex mucrone linguæ, & loco mucronis, potius æſtimare & appellare debuiſſet.

Tertium membrum, linguæ tribuit quinque conſonantes דטלנת. *At hæ non ſolum linguæ ſunt, ſed etiam palati & dentium. Lingua enim ſola ſine palati & dentium objectu, nullas conſonantes formare poteſt. Lamed igitur & Nun, palati etiam ſunt: Daleth, thet, thav, dentiū ſuperiorū etiam ſunt. Eò enim mucro linguæ impulſus, eas format. Neq; hæ ſolæ, linguæ ſunt, ſed etiā aliæ plures.*

Quartum, dentibus tribuit quinq;, nempe זסצשר, *quarum quatuor, poteſtate una ſunt. Sed hæ non ſunt dentium: ſed linguæ quidem, ut cauſæ communis, palati verò ut cauſæ ſpecialis. Sub palato enim mucro linguæ eas format. At Hebræus, ſpiritum qui inter linguam & palatum expreſſus, in dentes fertur, eosq; quaſi verberat, cōſideraſſe, & inde dētales appellaſſe videtur.*

Quintum & poſtremū membrum, ſolum legitimum eſt. Quod labiis tribuit quatuor ברכף. *Sed hæ aliter diſponendæ ſunt, ut cognatæ jungantur, nempe* דפבם. *ubi ſi pe lene,*

ſev

ſev phe, addatur pro ſ. qvinq; erunt: ופבפם, *vav, phe, pe, bet, mem.*

Hæc ergo diſtinctio multis modis vitioſa eſt: & ejjus vitium & confuſionem etiam alii obſervarunt & notarunt. Sanctus Pagninus, Grammaticarum inſtitutionum lib. 1. cap. 13. de ea ſic ſcribit. Hæc eſt, inqvit, antiqvorum traditio. Sed ex junioribus plæriq; qvas antiqvi palato, ipſi lingvæ tribuunt: nō citra rationem. Si enim capiatur palatum, pro ſuperficie oris, ut vulgus communiter accipit: cum ſit junctum maxillæ ſuperiori: qvæ non eſt mobilis, in aliqvo vivente per ſe (licet ad capitis motum moveatur) præter crocodilum: de qvo fertur pro miraculo, qvod maxillam moveat ſuperiorem: conſtat luce clarius: palato non poſſe tribui literarū motum, exitum & pronunciationem. Si vero capiatur palatum pro inferiori ſuperficie oris, ſub lingva exiſtente, ex qva provenit ad lingvam viſcoſa qvædam humiditas, in qva perficitur ſapor. (Job. 12. v. 11. palato cibus ſapit. Proverb. 24. v. 13. Comede fili mi mel, qvia bonum eſt: & favum dulciſſimum ſuper palato tuo) cum per ſeipſum nullo pacto moveatur: liqvet ipſum non eſſe elocu-

tionis inſtrumentum. Literæ igitur גיכק*, non ſunt palati ſed lingvæ. Sicut et literæ* דטלנת*. Sed motus lingvæ in* גיכק *eſt facilis, ad ſuperiorem tendens oris ſuperficiem : in literis verò* דטלנת *motus eſt in longitudine lingvæ, cum aliqva elevatione: & motus lingvæ magis apparet in* דטלנת *qvàm in* גיכק*. Res quoq; litera tam cum Raphéh, qvam cum Dagés, eſt ex literis lingvæ. Et ita ſunt decem literæ lingvæ. Qvarum ſignum eſt* גרק דטי לנדת*. Hæc Pagninus. Qvibus verbis manifeſtè indicat, hanc diviſionem vitioſam eſſe.*

Ac in primis argumentum notandum eſt. Qvo literas גיכק *palato adimit, & lingvæ tribuit : qvod videlicet palatum immobile ſit, ideoq; per ſe ſine motu lingvæ, literas formare neqveat. Nam eodem argumẽto, &* אהחע *gutturi, &* זסצשר *dentibus adimi, & lingvæ tribui poſſunt. Guttur enim & dentes partes ſunt immobiles. Qvare per ſe ſine lingvæ motu, literas formare neqveunt. Qvod etiã Pagninus in Res litera animadvertit : qvã etiam propterea lingvæ vendicat. Sed idem etiam de aliis faciendum fuerat. Qvod verò ait motum lingvæ, in* גיכק*, ad ſuperiorem oris ſuperficiẽ tendere: de dorſo lingvæ intelligen-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

gendum eſt. Quod attollitur, dum mucro ad dentes inferos dejicitur. Quod autem ait, in דטלנת *motum eſſe in longitudine linguæ, verum eſt tãtum in tribus Daleth, theth, thau, quæ ad dentes ſuperos porrecta, lingua formantur. Lamed autem & Nun, brevi & concava lingua, mucrone ad palatum applicato, formantur.*

Theodorus etiam Bibliander de communi linguarum & literarum ratione, pag. 152. & 153. indicat, hãc conſonantiũ, apud Grammaticos Hebræos, Diviſionem, non eſſe ſatis commodam. Ac proinde meliorem pro ea ſubſtituere conatur. Quæ omnibus linguis & linguarum literis tradendis, communis & apta ſit. Quæ tamen & ipſa nõ ſatis commoda eſt. Ac apparet eum naturalem diſtinctionem quæſiviſſe, ſed non aſſecutum eſſe.

CONSONANTIUM QUArundam incommoda Diviſio apud Græcos.

GRæci autem privatim, Mutas quas vocãt, in tres ordines diviſerũt. Tenues

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ϖ κ τ, *Aſpiratas* φ χ ϑ, *Medias* β γ δ. *Sed & hæc diſtinctio nimis ſubtilis eſt. Satis enim fuiſſet in ſimplices* τ δ, κ γ, π β: *& compoſitas aſpiratas* θ χ φ *dividere: ſi res hanc diſtinctionem poſtulaſſet. Et diſcrimen illud ſpiritus, tenuioris quidem in* κ π τ, *craßioris vero in* γ β δ, *aut nullum eſt, aut obſcurum admodum. Nec tenuium & Mediarum diſtinctio uſum ullum neceſſariũ habet. Quare & hanc Latini neglexerunt.*

Priſcianus tamen pag. 15. de hac diſtinctione meminit, & hoc modo ſcribit: Inter C inquit, ſive aſpiratione & cum aſpiratione eſt g, inter t quoq; & th eſt d & inter p & ph ſive f eſt b. Sunt igitur hæ tres, hoc eſt b, g, d, Mediæ, quæ nec penitus carent aſpiratione, rec eam plenam poßident. Hoc autem oſtendit etiam ipſius palati pulſus, & linguæ vel labrorum conſimilis quidem internis, inter & ph vel f & b: & rurſus inter c & ch & g. Similiter inter t & th & d: Sed in levibus exterior fit pulſus, in aſperis interior, in mediis inter utrumq; ſupradictorum locum, ſi attendamus in ſupradictis motibus, ora mirabili naturæ lege, modulantia voces. Hæc Priſcianus. Quæ tam ſubtilia

mihi

mihi videntur: vix ut intelligi poſsint.

TERTIUM INCOMMODUM ex H in Græca lingva in ſpiritum & apicem mutata.

Tertium incommodum minus qvidem eſt. & tamen incommodum eſt. Qvod in unica tantum litera conſonante h, conſiſtit. Hæc enim minus commodè à Græcis, apice notata eſt: & πάθος tantum ſeu affectio literæ, facta eſt: & πνεῦμα ſeu ſpiritus aſper ſeu denſus & craſſus vocata: cum veteres Græci, præſertim Atheniēſes figura propria, inter literas alias, eam expreſſerint. ut ſupra eſt dictum. Hinc enim lenis ſpiritus primum excogitatus eſt, & contrario apice notatus. Qvi tamen prorſus inutilis eſt. Non enim ſonum, ſed ſoni tantum abſentiam & privationem exprimit: & ex ipſa abſentia intelligi poſsit. ubi enim literæ figura nulla eſt, ibi nihil ſonat, neqve ſonare debet. Perperam etiam ſpiritus dicitur: ubi nihil eſt ſpiritus: perperam etiam aſper ſpiritus dictus eſt, ut à leni, id eſt, nullo ſpiritu, diſtingvere-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tur. Cum ipſe potius ſit lenis ſpiritus. Nam ſpiritus in h, multo eſt lenior qvam in S & R. In qvibus rectè ſpiritus aſper dici poſſet.

Deinde, hinc Latini, qvi literas & doctrinas à Græcis acceperunt, & eorũ avtoritatẽ maxima ex parte ſecuti ſunt, in errorẽ inducti ſunt. Ut qvamvis literæ figura, ab Atheniensibus, accepta, hanc conſonantem exprimerent, literam tamen eſſe non intelligerẽt, avt etiam eſſe dubitarẽt. Unde magna inter Grammaticos, qvæſtio & pugna extitit, an he litera ſit an aſpiratio tantũ. Qvintilianus modò dubitat, litera ne ſit, modò videtur è numero literarum tollere: cum ita loqvitur lib. 1. cap. 4. An rurſus aliæ redundẽt, præter illam aſpirationis notam, Qvæ ſi neceſſaria eſt, etiam contrariam ſibi poſcit. Hæc ille.

Et cap. 9. Illa vero non niſi avre exiguntur, qvæ fiunt per ſonos, Qvanqvam per aſpirationem, ſive adjicitur vitioſe, ſive detrahitur, apud nos poteſt qværi, an in ſcripto ſit vitium: Si H litera eſt, non nota.

Priſcianus avtem non dubitat, ſed omnino literam non eſſe diſputat: nec aliud habere literæ, qvam figuram: Neq; vocalem, neq; è conſonis, ſemivocalem avt mutam eſſe. Sic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

hac de re loqvitur pag. 8. & 9. H, vero eſt aſpirationis nota, & nihil habet aliud literæ, qvam figuram: qvod in verſu ſcribitur, inter alias literas. Qvod ſi ſufficeret, ut elemẽtum putaretur, nihilominus qvorundam etiam numerorum figuræ, qvia in verſu, inter alias literas, ſcribuntur, qvamvis eis diſſimiles ſint: elementa ſunt habenda. Sed minimè hoc eſt admittendũ. Nec aliud aliqvid ex accidentibus, proprietatẽ oſtendit uniuſcujjuſq; elementi, qvam poteſtas: qva caret aſpiratio. Neq; enim vocalis, nec cõſonans eſſe poteſt. vocalis non eſt h, qvia à ſe vocẽ non facit: Nec ſemivocalis: cũ nulla ſyllaba Latina vel Græca ꝑ integras dictiones, in eã deſinat: Nec Muta, cum in eadem ſyllaba, cum duab. Mutis ponat̃, ut Phthius, Erichthonius. Nulla enim ſyllaba plus duabus mutis poteſt habere, iuxta ſe poſitis: nec plus tribus conſonãtibus cõtinuare. Avtoritas qvoq; tã Varronis qvã Macri, teſte Cenſorino, neq; k, neq; q, neq; h, in numero adhibet literarũ. Hæc Priſcian.

Qvibus verbis, ſi rectè perpendãtur, nihil efficitur. Nã qvod negat he carere poteſtate, q̃ literæ fundamentũ eſt, falſum eſt. Habet enim h non ſolum ſpiritũ, ſed etiã ſonum ſuũ,

ſicut aliæ literæ, ut ſupra eſt probatum. Aliter enim ſonant hara & habeo, qvam ara & abeo. & aliud etiã proinde ſignificant. Deinde etiam qvod ex conſonantis diſtributione, in ſemivocalem & Mutam, literam non eſſe probare conatur: Argumentum falſum eſt. ut nunc oſtenſum eſt. Qvare nihil probat. Et tamen ſi hoc argumentum verum eſſet: nihil ſeqventia probarent. Qvod igitur ſemivocalem nõ eſſe ait, ꝙ nulla ſyllaba Latina avt Græca, per integras dictiones, in eam deſinat. rurſum inconſtanter dicitur. Nam & ah & vah, Latinæ voces in h deſinũt: qvamvis hujjus argumenti gratia Priſcianus fingat contractas voces eſſe, pro aha & vaha. Qvod illum nihil adjuvat, nihil enim ad rem attinet: contractæ voces an plenæ ſint. Satis enim eſt argumenti, qvod hæc clavſula avribus probata ſit. Et Diomedes docet, in his tantum vocibus, h finalem eſſe. Neq; Priſcianus hîc recte ſolius Latinæ & Græcæ lingvæ exempla allegat: qvaſi eæ ſolæ in mundo lingvæ eſſent: avt lingva Hebræa & aliæ, non etiam lingvæ eſſent. In qvibus ſæpiſſime voces in h deſinunt. Id qvod ipſemet fatetur pag. 15. in vocibus Syrorum & Aegyptiorum

fieri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

fieri. Ac proinde in ah & vah rectè fieri. Deinde qvod Mutam non eſſe probet: qvod in eadem ſyllaba, cum duabus Mutis ponatur: ut Phthius, Erichthonius: nulla avtem ſyllaba plus duabus Mutis, juxta ſe poſitis poſſit habere: itidem infirmum eſt. Nam primũ qværi poteſt: an rectè à Græcis, ac deinde à Latinis eos imitantibus, aſpiratio, ſev litera flatilis, ſit geminata. Neq; enim hoc modo geminari poſſe videtur. Attentè enim avſcultanti in his vocibus φθῖος & χθὼν, ſev phthius & Erichthonius: non niſi unum h, proximè ante vocalem proferri videtur. Ne dicam, in φ & χ ſev ph & ch, conatum magis qvam ſonum literæ ineſſe videri. avditur enim tantum, thius & thon. Qvid qvod de h poſt conſonantem dubitari poſſit: an ſit h litera. Neq; obſtat Varronis avt Macri avtoritas. Qvos Græcorũ avtoritas decepit. Qvare Priſcianus his omnibus argumentis nihil efficit.

Inter recẽtiores Scriptores, Jovianus Pontanus, vir doctiſſimus, qvi duos libros de aſpiratione ſcripſit: in qvibus docet: qvæ voces & ſyllabæ atq; literæ, aſpirationem habeant: initio primi libri, hanc qvæſtionem copioſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tractarit: & in utramq; partem diſputavit. Qvam tandem his verbis concludit: ut avtem, inqvit, poſt hæc omnia, pavcis ipſe tibi aperiam: qvid de aſpiratione ſentiam: id eſt, an qvam vim literæ habeat: ac ne ab officio & cognitione Grammatici recedens: ſubtilius qvam Grammatici captus fuerat: perſcrutari hoc videar. Siqvidem exiſtimo, videri aliqvando H ſapere aliqvid, qvod ſit literæ, cum tamē litera ipſa non ſit: veluti cū in locū literæ ſubſtituitur: ut in his vocibus, hircus & traho. In qvibus loco f, aſpiratio poſita fuit. Nam fircus & trafo dixerunt: & in hoc nomine hallux, Qvod ſit à verbo Salio: Avt cū loco ejjus ponitur aliqva litera: ut in his, ſex pro hex, veſper pro heſper. Qvid qvod qvemad. C & D interjiciuntur, in compluribus dictionibus hiatus cavſa, ut in prodeo, redeo, redibeo, ſicubi, necubi: eodem modo & H, ut in his, mihi, prehendo. In qvibus, eandem habet vim ad hiatum h, qvā in illis D & C. Ac ne de Grammaticis agens, philoſophum videar agere: havd negabo: habere aliqvando h ſimilitudinē qvandā literæ. Qvod qvāvis non negem, ut dixi, non tamē dicendum avt tenendum judico, H propterea eſſe literam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ram. Quod quidē ſuperius ſatis oſtenſum eſt. Nam & corvorum & pſittacorū voces quædam, verba noſtra imitantes: vim quidē habent intelligibilem: & ſuam ipſorum ſignificantiam exprimunt: cum tamē humanæ illæ voces, neq; ſint, neq; dici poſſent. Hæc Pontan.

In quibus, ut apparet, vel veteri opinione faſcinatus, ſeſe extricare non potuit: vel etiam rem explicare noluit. Ne Grammaticos cōtentioſos, quos in Antonio ſuo depingit: vel litigādi materia ſpoliaret: vel in ſe cōcitaret. Fatetur literā videri, & ſimilitudinē literæ habere: & tamen literam eſſe negat. Quod inquit, corvi & pſittaci, voces quaſdam exprimant, noſtris vocibus ſimiles: quæ tamen non propterea voces humanæ dici poßint. At hoc argumētum & hæc ſimilitudo valde aliena eſt. Quæritur an h, voce humana prolata, ſit litera. Non eſt, inquit Pontanus, litera. ſed ſimilis literæ. Neq; enim corvi aut pſittaci vox, vox humana eſt, aut dici poteſt: quamvis voci humanæ ſimilis ſit. At hoc parum rectè dicitur. vox pſittaci aut corvi, quæ vocem humanam imitatur, non eſt aut dici poteſt vox humana: Ergo h ab homine prolata, quamvis literæ ſimilis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſit, litera tamen non eſt, avt dici poteſt. Imo vero h ab homine prolata, non ſolum literæ ſimilis eſt, ſed etiam litera eſt, & pars ſermonis humani. Sic ovum non ſolum ovo ſimile eſt, ſed etiam ovum eſt. Et homo non ſolum homini ſimilis eſt, ſed etiam homo eſt. Et qvo res rei ſimilior eſt: eo magis ad ejjus naturã accedit, & ejjuſdem cum ea ſpeciei eſt. Sic h non ſolum literæ ſimilis eſt: ſed etiam litera eſt: Qvam etiam pſittacus, cum verba noſtra imitatur, exprimit. Ariſtoteles de partibus animalium lib. 2. cap. 17. Aves, inqvit, qvæ literas proferre poſſunt: lingva ſunt latiore qvàm cæteræ. Et minores, inqvit, aves vocaliores ſunt. Et omnes lingva utuntur ad ſui ſenſus mutuam interpretationem.

Sed qvoniam ait, ſe ſuperius ſatis oſtendiſſe, h literam non eſſe, ſed literæ tantum imaginem, argumenta ejjus breviter ſubducamus. At omnia ei ferè cum Priſciano communia ſunt. Qvæ jam antè ſunt expedita. Id præcipuè urget: qvod h poteſtate careat, qvod etiam à Priſciano dictum eſt, id eſt, nõ pronunciari ſev ſonare: ſed tantum flare & ſpirare, ac ſimilem eſſe ſuſpirii, ſcloppi, anhelitus, ſuffitus, Qvi ſpiritus & ſoni quidẽ ſunt:

ſunt: non tamen pronunciationes. At hoc jam antè etiã Priſciano negavimus. H enim & ſonus eſt, & pars ſermonis humani. Quæ vocum etiam ſignificationem, ſua præſentia & abſentia, mutat.

Deinde, ſic diſputat Pontanus. Etſi conce datur, h eſſe ſonum ſeu pronunciationem: tamen inde effici non poſſe, h eſſe literam. Pronunciatio enim, id eſt, poteſtas, literæ accidit: non eſt ipſa litera. Et poteſtas ſeu pronunciatio, accidens commune eſt literæ cum ſyllaba. Quare poteſtas ſeu pronunciatio non eſt litera. Accidens enim rei, non eſt res ipſa, multo minus accidens pluribus commune. Hæc ferè Pontanus. In qvibus Grammaticorum nimiam ſubtilitatem ridere velle mihi videtur potius, qvam ſuam ſententiam exprimere. Priſcianus pag. 4. tria facit literæ accidentia: nomen, figuram & poteſtatem. Sed idem pag. 5. Poteſtas verò, inqvit, ipſa pronunciatio eſt: propter qvam, & figuræ & nomina ſunt facta. Hæc ille. At nomen & figura, propter literam, ſunt facta. Poteſtas igitur & pronunciatio, vera litera eſt. Cujus accidentia & ſimulacra adjuncta, ſunt figuræ & nomina. Et ſi accuratius loqvi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

volumus, pronunciatio communis eſt orationi, vocibus, ſyllabis, literis: Ac cavſæ efficientis magis rationem habet. Sonus avtem ipſe ſermonis, literam conſtituit. Et litera eſt minimus ſermonis ſonus. Ac proinde etiam h, litera eſt. Eſt enim minimus ſermonis ſonus. Neq; igitur Pontani argumenta ſolida ſunt: avt h non eſſe literam, probant.

Hæc ergo Qvæſtio de h, litera ſit nec ne, ex Græcorum ſpiritu & apice nata: qvæ ſemper Grammaticos torſit, tertium in literis, doctrinæ impedimentum fuit.

QVARTUM INCOMMOdum ellipſis figurarum duarum conſonantium Jod & Vav.

Qvartum Incommodum, qvod hactenus ferè in doctrina literarum Græcarum & Latinarum verſatum eſt: eſt ellipſis figurarum, duarum conſonantium Jod & Vav. Qvarum figuræ hactenus magna ex parte apud Græcos & Latinos, & alios populos Europæos, Græcis & Latinis literis uſos, deſideratæ ſunt, avt non ſatis uſurpatæ. Ea avtem Ellipſis, alia rurſum incommoda ex ſe peperit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

rit. Quæ ex lingva Græca & Latina, in alias plæraſq; lingvas Europæas, unà cum literis Græcis & Latinis, invecta ſunt. Duo autem inprimis incōmoda ex hac ellipſi nata ſunt. nempe vitioſa ſcriptio & diphthongus.

DE VITIOSA SCRIptione ex Ellipſi nata.

VItioſa ſcriptio eſt. Quod duarum vocalium figuræ Jota & Ypſilon, pro duabus conſonantibus Jod & Vav, ſcriptæ ſint. Appellatione autem Jota & Ypſilon & Græcas & Latinas vocales duas, i & u, nunc complector. Harum igitur figuræ, pro duabus cōſonantib. ſcriptæ ſunt. Cũ enim figuræ duarũ conſonantiũ Jod & Vav, Græcis & Latinis deeſſẽt: & interim natura & ſermo ipſe, eaſdẽ cōſonãtes in ſcriptura exprimi poſtularet: pro iis, figura duarũ vocaliũ jota & ypſilon, quæ magnã ſoni cognationẽ & vicinitatẽ cũ jod & vav, haberẽt, ſubſtitutæ ſũt. Ita vocalis ꝑ conſonãte ſcripta eſt. Qua in re magnopere erratũ eſt, & ſcriptio vitioſa introducta eſt.

Scriptionẽ vitioſam lectionis ambiguitas cōſecuta eſt. Quæ & per ſe vitium eſt: & nō

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

parum eorum ſtudium remoratur: Qui linguam Græcam & Latinam, avt populares præſertim peregrinas, ꝑprio inprimis marte & ex mutis magiſtris primum diſcere conantur. Cum enim figura vocalis jota vel ypſilon, figuram alterius vocalis, proximè antecedit avt ſeqvitur: dubium omnino eſt utrum per ſe legi debeat, ut vocalis: an cum altera, in unam ſyllabam conjungenda ſit, ut conſonans.

Sic exempli cavſa, ab imperitis variè hæc legi non poſſunt: Græca: ι, α, τρος *&* ια, τρος: ι, α, ο, μαι *&* ια, ο, μαι: ὑ, α, λος, ὑα-λος: α, ι, ας, α, ιας, αι, ας: α, ι, νε, ι, ας, αι, νε, ι, ας, αι, νει, ας: α, υ, λος, αυ, λος: πι, μα, ι, πι, μαι: λο, γο, ι, λο, γοι: τε, ι, χε, τει, χε, ι, τει, χει: μο, υ, σα, ι, μου, σα, ι, μου, σαι: τυ, πλε, ι, τυ, πλει: ο, ι, χι, ζε, ι, οι, χι, ζε, ι, οι, κι, ζει: *Latina: i, a, ce, o, ia, ce, o, i, e, cur, ie, cur, i, u, ſtus, ju, ſtus, u, a, do, ua, do, u, o, lu, o uo, lu, o, uol, uo. Danica: i, act, iact, i, a, u, ia, u, iau, u, act. Improviſus, uact, vigilia, n, &, incomeſtus. uet, pondus. u.ec, tig, Illegitimus. vectig ponderoroſus, juſti ponderis, &c.*

D E

DE DIPHTHONGO ex vitioſa ſcriptione nata.

EX vitioſa ſcriptione, diphthongus etiam nata eſt. Diphthongus autem, ut placet Grammaticis, eſt ſyllaba, in qua duę vocales ſimul ſonant. Priſcianus pag. 36. Syllaba, quę ex duabus literis conſtat, fit vel à vocalibus, & invenitur diphthongus ut, au & oe. Et pagina 30. Diphthongi dicuntur, quod binas phthongos, id eſt, voces comprehendant. Nam ſingulę vocales ſuas voces habent. Hęc Priſcianus. Diphthongus Gręcorum inventum eſt, ut vox ipſa indicat. Quę Gręca eſt: ex δὶς, id eſt, bis, & φθόγγος, id eſt, vox ſeu ſonus, facta. Quod Latine geminiſona dici poteſt. Gręcus igitur, quiſquis ille fuit, diphthōgi autor, cum videret figuras vocaliū duas, jota & ypſilon, poſt vocalem ſcribi: duas vocales in eadā ſyllaba proferri putavit. Eamq; ſyllabam, ut ab aliis docendi cauſa diſtingueret: diphthōgum appellavit. Ac Gręci diphthongos duodecim ferè numerāt admodum confusè. Quarum ſeptem primum ſimplices factę videntur: ex jota quidem ſequente,

quatuor, αι, ει, οι, & una rarior, υι: ex ypſilon verò ſeqvente tres, αυ, ευ, ου. Nam licentia ſcribendi, & ε & ο productis, & in η & ω mutatis, additę videntur, tres ex Jota ſubſcripto, ᾳ ῃ ῳ & duę ex ypſilon aſcripto, ηυ & ωυ. Deinde Latini, Gręcorum exemplũ & autoritatem ſecuti, diphthongos qvinq; primum fecerunt, ex ι tres, αι, ει, οι. Ex u duas au & eu. Nam jota Gręcum & i Latinum, ypſilon item, & u Latinum, eandem poteſtatem hîc habẽt, ut ajas, ajax, αὔλη avla. Qvare & eodem nomine, jota & ypſilon, & Gręcas & Latinas vocales hîc complectimur, ut ſupra diximus. Deinceps verò in duabus ai & oi Latinis, propter ſoni vicinitatem, e pro i ſcribi cęptum eſt, vulgi more & conſvetudine magis, qvam doctorum autoritate, ut indicat Priſcianus pag. 31. & 32. In ae & oe, ei autem diphthongus maturè, uſu detrita eſt: & in e ſimplex vel i, & pronunciatione & ſcriptione mutata.

In his autem omnibus diphthongis, olim & jota & ypſilon, cum vocali pręcedente ſonabant, & proferebantur à veteribus Gręcis pariter & Latinis: ut ex ipſo diphthongi nomine apparet. Et poſt Eraſmum Roterodamum

damum, Johannes Checus Anglus, & Regius in Anglia profeſſor, multis argumentis, Anglis popularibus ſuis, qvos veterem pronunciationem docuit, probavit & perſvaſit. Et poſt eum Adolphus Mekerchus Brugenſis, pluribus repetiit & confirmavit. Et ex iis, qvę ſupra de vera doctrina Jod & vav, ex Gręcis et Latinis diximus, intelligi poteſt. De Latinis locum unum ex Qvintiliano repetemus. Is ergo lib. 1. cap. 12. de prima diphthōgo ae agens. Ai, inqvit, ſyllabam, cujjus ſecūdam nunc è literam ponimus, variè per a & i efferrebāt: Qvidam ſemper, ut Gręci, Qvidam ſingulariter tantum: cum in Dativum vel Genitivum caſum incidiſſent. Unde pictai veſtis & aqvai Virgilius amantiſſimus vetuſtatis carminibus inſeruit. In iiſdem plurali numero è utebantur, hi Syllę, Galbę. Hęc Qvintilianus.

Qvod avtem Virgilium ait ſyllaba ai uſum eſſe. Id qvater factum eſt. Qvod & Probus annotavit. Primus locus eſt Aen. 3.

Avlai in medio libabāt pocula Bacchi.

Secundus in ſexto:

Aethereum ſenſum, atqve avrai ſimplicis ignem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Tertius in ſeptimo.

Exultant ęſtu latices, furit intus aqvai vis.

Qvartus in nono:

Dives eqvûm, dives pictai veſtis & avri.

Et ſcriptio vetus & ſonus diphthongorũ ai & oi, in vocibus qvibuſdã Latinis adhuc manet, ut in ajax ab ajas, Troja à τρόια. Priſcianus pag. 30. & 31. Atq; hęc vetus diphthõgorum pronunciatio fuit.

Tandem verò in Gręcis pariter & Latinis diphthõgis, prę ſertim in qvibus jota, vel e pro i ſcriptũ, vocalem ſeqvitur, vetus pronunciatio mutata eſt, & in vocalem ſimplicem degenerare cępit. Qvod jam tempore Qvintiliani, fieri ceptum erat, ut ex loco, pavlo antè citato apparet. Igitur pro ai, ae, oe, e ſimplex pronunciatum eſt, pro ei & oi, i ſimplex & pro ei, etiam e, & ſic de aliis. Itaq; in his & ſimilibus, mutata pronunciatione, diphthongi tamen ſcriptura manſit, qvaſi mortua qvędam imago. In iis avtem ſolis, qvę poſteriorem ypſilon habent, pronunciatio integra adhuc manet. ut αὔλη aula. Atq; hęc brevis qvaſi diphthongi hiſtoria

eſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

eſt, ex Grammaticorum ſententia.

Verum diphthõgus & ejjus doctrina commentitia eſt, ex Ellipſi duarum conſonãtium jod & vau: & vitioſa duarum vocalium jota & ypſilon pro iis ſcriptione, orta. Diphthongi enim autor hîc magnopere deceptus eſt, idq; ſcriptionis vitio & homonymia quadam. Neque enim figura aut nomen literam conſtituunt. Sed ſonus ipſe. Litera enim eſt quę ore profertur, & pars atq; elementum ſermonis humani eſt. Figura autem & Nomen, literę adjuncta & ſigna ſunt, ab hominibus facta. Quę ſępè πολύσημα eſſe poſſunt, ut ſub una figura & uno nomine, literę diverſę comprehendantur. Sicut Artimiſię nomine, & Regina & herba: Arbuſculę & ſtirps & mulier ſignificatur. Quod autem ad ſonum attinet: Is hoc loco in jota & ypſilon, non vocalis, ſed conſonantis eſt. Eſt quidem aliqua ſoni ſimilitudo, inter vocales jota & ypſilon & conſonantes duas jod & vau. unde & facilè jota & ypſilon vocales, per craſin in conſonãtes: & contra conſonantes jod & vau p Diçreſin, in vocales jota & ypſilon trãſeunt: ut τείχεϊ τειχει, ἀυτμὴ αὐτμὴ, Põpei Pompej, ſolvo ſoluo. Sed ſimile nõ eſt idẽ.

Qua de re Priſcianus pag. 9. ſic ſcribit: videntur, inquit, j & v cum in conſonantes tranſeunt, quantum ad poteſtatem, quod maximum eſt in elementis: aliȩ literȩ prȩter ſupra dictas. Multum enim intereſt: utrum vocales an conſonantes ſint. Sicut enim quamvis in varia figura & vario nomine ſint k & q & c. tamen quia unam vim habent, tam in metro, quam in ſono: pro una litera accipi debent: ſic i & u, quamvis unum nomen & unam figuram habent, tam vocales quam conſonantes: tamen quia diverſum ſonum & diverſam vim habent, in metris & pronunciatione ſyllabarum, non ſunt in eiſdem, meo iudicio, elementis accipiendȩ. Quamvis & Cenſorino doctiſsimo artis Grammaticȩ, idem placuit.

Multa enim differentia eſt, inter conſonantes, ut diximus, & vocales. Tantum enim ferè intereſt inter vocales & conſonantes, quantum inter animas & corpora. Animȩ enim per ſe moventur, ut Philoſophis videtur, & corpora movent. Corpora verò per ſe nec moventur: nec ani-

animas movent, ſed ab illis moventur: vocales ſimiliter & per ſe moventur ad perficiendam ſyllabam: & conſonantes movent ſecum: conſonantes verò ſine vocalibus, ſunt immobiles. Hęc Priſcianus.

Qvod avtem nulla vocalis cum vocali, in eadem ſyllaba proferri poſſit: ex vera literarum doctrina patet: vocalis enim toto ore & certo oris totius habitu & forma profertur. Os avtem non poteſt uno tempore niſi unum habitum induere & ſuſtinere. Ac proinde non niſi unam vocalem uno tempore proferre. Qvod ipſa pronunciationis experientia docebit: ſi qvis periculum, in vocalibus proferendis & conjungendis, facere velit.

Ut avtem, ex vitioſa ſcriptione, nata eſt Diphthongus: Ita ſi ſcriptio vera inſtituatur, & figuris mutatis corrigatur: illico perit Diphthongus, & ſua ſponte evaneſcit, & redit in nihilum, qvod fuit ante nihil, ut ex hoc ſcripto apparet. Corrigi avtem ſcriptura dupliciter poteſt, primum ſi vetus ſcriptio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

& pronunciatio revocetur: & pro vocali i, vel e, jod cõſonans ſcribatur & proferatur ut Ajtas: cojlum. vel ſi ſcriptio ad uſitatam hodie pronunciationem accommodetur: Et pro ae & oe, vocalis ſimplex e vel ę ſcribatur ut à nobis in hoc ſcripto factum eſt ut, ętas, cęlum.

Neq; hęc ſcripturę mutatio qvicqvam incommodi habet. Neq; enim ſenſus verborum hac ratione obſcuratur: neq; Grammatica vocum detrimentum capit. Id qvod in aj, ej, oj, av, & ev, manifeſtum eſt. In qvibus facies vocis eadem penè manet, unica tantum litera mutata. In ae & oe mutandis, in lingva Latina, incommodi aliqvid eſſe videri poteſt. Nam diphthongus hîc videtur eſſe nota & ſymbolum, partim ſignificationis vocum & differētiæ, ut aliud eſt cedo, unde ceſſi ceſſum eſt. aliud cędo, unde cęcîdi, cęſum. partim proſodię & qvantitatis ſyllabę, partim originis vocum. ae avtem privatim, caſus aliqvot primæ declinationis finit & indicat. Qvare horum omnium nota tolli videtur. Ac proinde confuſio qvædam introduci, ſi ſcriptura immutatur.

Verum ſi res rectè perpendatur, incom-

modum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

modum hic nullum,avt leve admodum eſt. Qvod nec verę ſcriptionis utilitati pręponderet & facile ſarciri poſſit. Nam qvod ad vocum ſignificationem & differentiam attinet: ea eſt omnium ferè vocum natura, ut plures ſignificationes pro variis tropis recipiat. Adeo ut qvibuſdam Philoſophis viſum ſit, nullam eſſe vocem non ambiguam: ut ait Fab.lib.7.cap.9. vocis tamen cujjuſq; ſignificatio certa, ex loco, & verbis adjunctis determinatur, & agnoſcitur. Sic cum dico fedus civitatum & populorum, & fedus homo avt ſermo: Itē cedo te & cedo tibi. Qvid fedus & cedo utrobiq; ſignificet, ex adjunctis vocibus ęſtimatur. Deinde Qvantitas ſyllabarum, in Latinis vocibus, in Grammatica & Lexicis tradenda eſt, & uſu cognoſcenda: Qvæ in lingvis popularibus ex pronūciatione ferè ęſtimatur. Originem raro & obſcurè diphthongus indicat. ut in iis, qvę à Gręcis ſunt. pęna à ποινὴ, ęſtrum ab οἶστρος. Et cęna fortaſſe qvaſi κοινὴ, & cęlum qvaſi κοιλὸν. Sed hîc in plęriſq; magna obſcuritas & incertitudo eſt. Et in Etymologiis vocum, ludunt & luduntur ſępè Grammatici, ut in Cratylo Platonis videre eſt. ut ſomniorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

interpretatio, ita verborum origo, pro cujjusq; ingenio prędicatur: ait Auguſtinus de principiis Dialecticę. Et in ſcribendo, lectionis potius qvam originis ratio habenda eſt. Origo, ſi qva certa eſt, in lexico, una cum veteri & originaria ſcriptione, potius qvam in vocum ſcriptura, notari & conſervari poteſt & debet. Ipſa etiam compoſitio ſępè diphthongum tollit, & tamen ſignificatio & origo intelligi poſſunt, ut cędo, occido, incido, pręcido, recido, circumcido. Et conciſum non concęſum, ut ait Cicero ad Brutum. Deniq; caſus etiam ex adjunctis agnoſcitur. Ita facile apparet, aliud eſſe, fame rationem habere, aliud fame mori avt extingvi. Poſtremo ſi qvis omnino ſymbolum aliqvod pro his, in ſcriptione reqvirit, is vel æ pro unica litera & vocali & longa, avt ſanè e cum cavda ſcribat, ut ę. Nam qvod ad oe attinet, illa in pavciſsimis vocibus Latinis eſt, ut nihil ſit incommodi, eam in æ vel ę vel e mutare. Si qvis enim Lexicon evolvat, in his ferè reperitur. Cœlum, cœna, cœnum, cœpi, cœteris, hœdus, fœdus, fœda, fœdus, eris, fœcialis, fœlix, fœnum, fœnus, fœtus, fœnus, mœnia, mœreo, mœſtus, amœnus, obſcœnus. Alię enim

nim voces ferè omnes, in qvibus reperitur, manifeſtè Gręcę ſunt. Nec in his ipſis ſatis conſtanter ſcribitur. Nam ſcribitur celum & cœlum, hedus & hœdus, obſcęnus & obſcœnus. Qvare in aliis etiam nihil prohibet, œ in æ, vel ę, vel e, mutare.

INCOMMODA EX DIPHthongo nata, & primum neceſſarię Doctrinę vitium.

EX Diphthongo, alia rurſum Incommoda nata ſunt, in doctrina literarū. Horum avtem prius eſt neceſſarię doctrinę vitium: alterum eſt inutilis & falſę doctrinę commentum.

Primum enim doctrina Diphthongi cum vera & neceſſaria literarum doctrina, diviſionibus & definitionibus, pugnat: eaſq; confundit & perturbat. Primū igitur cum vera literę diviſione, in vocalē & conſonantem pugnat eamq; vitiat. Nam ſi vocalis cū vocali ſonat, ut vult diphthongus, diviſio in vocalem & conſonantem, legitima non eſt. Nam ſi omnis vocalis, cum omni vocali ſonat: omnes vocales etiam conſonantes ſunt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Quod ſi quædam tantum vocales cum aliis ſonent: ut i & u, Diviſio literarum non bimembris, ſed trimembris fieri deberet: In vocales a, e, o, y. In conſonātes. S R L &c. Et ancipites, id eſt, quæ & vocales & conſonantes ſunt i & u. Sicut vocales Græcæ, ex Quantitate dividuntur, in breves ε & ο, Longas η & ω & ancipites, id eſt, quæ & breves & lõgæ ſunt, α, ι, υ.

Deinde diphthongi doctrina, cum veris definitionibus vocalis, conſonæ & ſyllabæ pugnat. Ac eas proinde vitiat. veræ definitiones & linguis omnibus communes hæ ſunt:

Vocalis eſt litera per ſe ſonans.

Conſonās eſt litera cū vocali ſonus.

Syllaba eſt vocalis & conſonantis ſonus conjunctus, cujus loco interdum vocalis fungitur.

Harum duas priores tradidit etiā aliquo modo Priſcianus pag. 5. Vocales, inquit, dicūtur, quæ per ſe voces perficiunt. Nam quod addit, ſupervacaneum eſt: ſine quibus vox literalis proferri nõ poteſt. Deinde conſonantes, inquit, appellantur: quæ cum vocalibus proferuntur. Atq; eodem modo Terentianus ante Priſcianum definivit.

Harum

Harum avtem nulla vera & legitima eſt, id eſt, cum definito reciproca, ſeu καθ' ὅλȣ πρώτη. *Si diphthongus eſſe ponatur. Prima enim nimis anguſta erit. vocalis enim non ſolum per ſe ſonat & ſola, ſed etiam cum alia vocali. Secunda nimis lata erit, & vocales etiam complectetur. Nam etiam vocalis cum vocali ſonat. Tertia nimis anguſta rurſum erit. Nam etiam vocalis cum vocali ſyllabam facit.*

Syllabę definitionem apud Priſcianum vitiavit diphthongus. pag. 35. Syllaba, inqvit, eſt comprehenſio literarum conſeqvens, ſub uno accentu & uno ſpiritu prolata. vel ſyllaba eſt vox literalis, qvæ ſub uno accentu & uno ſpiritu indiſtanter profertur. Et addit, abuſive tamen ſingularum vocalium ſonos, ſyllabas appellamus. Et pavlo poſt: Syllabę, qvę ex duabus literis conſtant: vel à vocalibus fiunt: & invenitur diphthongus ut au, & oe. Hîc diphthongus manifeſtè Priſciano impoſuit, eumq; à vera via ad diverticula confugere coëgit: & vitioſam ſyllabę definitionem tradere.

Hęc enim definitio nimis lata eſt. Et in ea duplex vitium eſt. Primum enim pro vocali

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

& conſonante ſpeciebus, quę ſyllabam conſtituunt, genus nempe literā ſev literas poſuit. ut ita ſyllabā duarū vocaliū etiam complecteretur. Deinde quod addit, uno accentu & ſpiritu prolata, non ſyllabæ proprium, ſed etiam literis et dictionibus ex parte commune eſt. Spiritus enim humanus, communis eſt quaſi Materia & Subjectum orationis humanę, literę, ſyllabę & dictionis. Et uno ſpiritu non ſolum ſyllaba: ſed etiam integra periodus multis conſtans ſyllabis & dictionibus, profertur. Accentus autem adjunctum eſt non ſyllabę, ſed ſyllabę dictionis: aut potius dictionis ipſius: & quidem polyſyllabę. Accentus enim eſt vocis cantus, id eſt, flexio. Vocis autem flexio & mutatio, in una ſyllaba, nulla omnino eſſe poteſt, ſed in duabus primum ſyllabis fieri poteſt, ut pátèr, ubi prior acuta eſt, & poſterior gravis eſt, & depreſsius ſonat: & vox ab acuta, in gravem flectitur. Quod cantus & accentus eſt. unde & dictiones monoſyllabę propriè accentum non habent. Nec Gręcè nec Latinè, accentu notandę erant: Sed vocalibus potius longis & brevibus diſtinguendę. Et uno accentu non ſolum una ſyllaba,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſed etiam plures ſyllabę indiſtanter proferuntur: ut in dó,minùs, duę poſteriores ſyllabę,mi & nus, uno & eodem accentu nempe gravi, indiſtanter proferuntur, & tamen non conſtituunt ſyllabam.ſed ſyllabas. Vitioſa igitur & nimis lata ſyllabę definitio eſt.

Hîc verò operępretium eſt conſiderare, qvo pacto diphthongus etiam Petro Ramo, ipſo Priſciano acutiori Philoſopho,& aliis nõ pavcis eum hîc ſecutis,impoſuerit. Qvem in ipſo ſtatim limine Grammaticę decepit.

Primum definitiones tres ipſi corrupit:vocalis,conſonę & ſyllabę. Vocalis,inqvit,eſt litera,qvę per ſe ſyllabam efficere poteſt. Conſona eſt litera,qvę cum vocali tantum ſonare poteſt. Syllaba eſt ſonus integer in voce. In his omnibus definitionibus,dum Ramus oculos in diphthongum intendit: lapſus eſt: & à vera doctrinę via aberravit.Primum enim in duabus prioribus, verbum Poteſt, vitiosè eſt additũ. Definitio enim definito omni, ſoli & ſemper cõvenire debet. Vera enim definitio ex partib.rei eſſentialibus,materia & forma,avt eorũ ſymbolis,genere & differentia, qvę rei ſemper inſunt,conſtare debet. Qvare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

non ex eo quod res poteſt aliquando eſſe, ſed ex eo quod ſemper eſt, definiendum eſt.

Deinde quod vocalem ex ſyllaba, & ſyllabam ex voce, definit: vitioſum eſt. Poteſt enim & vocalis ſine ſyllaba eſſe: & ſyllaba ſine voce. Quare & vocalis ſine ſyllaba: & ſyllaba ſine voce doceri & definiri, & quaſi mōſtrari poteſt & debet.

Vocalis autem definitio falſa eſt. vocalis enim per ſe ſyllabam efficere non poteſt: niſi abuſive, etiam una vocalis ſyllaba appelletur: ut ait Priſcianus. vocalē enim cum vocali ſonare nō poſſe doctrina ſuperior docet.

In definitione conſonę, ut vocalis excluderetur: vox (tantum) adjecta eſt. Sed illa in nulla definitione poni debet. Definitio enim definito non ſolum omni & ſemper, ſed etiam ſoli convenire debet. Quare tantum & ſolum, definitioni inſeri non debet: ſicut nec omni & ſemper. Ea enim definitio omnis tacitè includit.

In definitione ſyllabę, genus, ſonus integer, etiam literę competit. Litera enim etiam ſonus vocis integer eſt & dici poteſt. Quod verò formę loco & differentię ponitur: in voce: id definitionem nimis anguſtam reddit.

Poteſt

Poteſt enim ſyllaba ſine voce eſſe. Qvare omnes has tres definitiones Rameas diphthongus corrupit.

Deinde etiam ordinem ipſi doctrinę turbavit. & duas definitiones vocis & ſyllabæ loco movit, & ita caput ſecundum de ſyllaba, & qvartum de vocis generibus, ἀκέφαλα reddidit. Cum enim Petrus Ramus doctrinam de literis traditurus, oculos in diphthongum intentos haberet: & vocalem definire vellet: ut univerſam ejus vim exprimeret: definivit eſſe literam: qvæ per ſe ſyllabam poſſit efficere. Scilicet & ſola & in diphthongo. Cum autem videret: literam per ſyllabam definiri non poſſe: niſi ſyllaba prius definita eſſet: etiam ſyllabę definitionē pręmiſit. Et hanc rurſum ex vocis definitione deduxit. Atq; ita vocis & ſyllabę definitiones ante literas ὕστερον πρότερον, contra Methodi legem, collocavit. litera enim generalior eſt ſyllaba: ſyllaba voce. Nam ex literis ſyllaba, ex literis & ſyllabis fit vox. Et ut litera ſine ſyllaba: ita ſyllaba ſine voce eſſe poteſt. Qvare etiam literę doctrina ſev definitio & diviſio, prior eſt doctrina, id eſt, definitione & diviſione, ſyllabę & vocis Unde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

& Ariſtoteles Top.6.cap.2. Qvod prius eſt, inqvit, id eo qvod poſterius eſt, notius eſt omnino: ut punctum linea, linea plano, planum ſolido. Qvemadmodum unio numero & elementum ſyllaba.

Neqve definitio in artibus, à ſua diviſione, cuiius caput eſt: doctrina alterius ſpeciei interpoſita, avelli debet. ut hîc factum eſt. Nam inter vocis definitionem & diviſionem, doctrina & literę & ſyllabę & accentus, per tria capita, interponitur. Inter ſyllabę definitionem & diviſionem, tota literę doctrina interpoſita eſt. Qvæ eſt manifeſta ἀταξία & ἀμεθοδία. Atqve hoc alte-vitium in Grammatica Rami rum Diphthongus peperit.

DOCTRINA NON neceſſaria & falſa, ex Diphthongo orta.

ATq; hactenus neceſſarię doctrinę corruptela fuit: ſeqvitur non neceſſaria & falſa, ejjuſdem ſoboles. Hinc ergo primum in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

in lingua Hebręa, quidam etiam diphthongos facere voluerunt. Atque ita ex conſonantibus, vocales fecerunt: Ne lingua ſancta, hac in re, à lingua Gręca & Latina diſcrepare videretur. Sic Cevallerius Grammaticę ſuę tractatu primo, capite ſecundo, in fine capitis. Jod, inquit, in fine dictionis poſt kametz, chôlem, ſchureck & patack, vocalis quodammodo ſonum obtinet: ac velut in diphthongos coaleſcit ut אֲדֹנָי *Dominus* גּוֹי *Gens* תָלוּי *ſuſpenſus* פָּנַי *facies meę. Similiter quoque vav poſt kametz in* פָּנָיו *facies ejjus, & tſeu, in* שָׁלֵו *tranquillus. Hęc ille. Deinde hinc in Gręca lingua, diphthongus impropria nata eſt. Cujjuſmodi dicuntur eſſe, ᾳ, ῃ, ῳ, ῃ. Quę ſi improprię ſunt: diphthongi non ſunt. Omnia enim in artibus propria & ſolida eſſe debent. Nihil improprium. Quod enim improprium eſt, illegitimum & adulterinum eſt.*

Deinde in linguis quibuſdā popularibus Europęis, quarū pręcepta Grammatica his proximis annis ſcripta ſunt, majjor etiam inutilium & falſarū pręceptionū turba & confuſio, hinc orta eſt. Nam & diphthongorum numerus auctus eſt: & his additę ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

triphthongi & tetraphthongi,id eſt, ut recte Ramus in ſua Grammatica Gallica admonet: monſtra & prodigia Grammatica. Latini expreſſe docent, non poſſe fieri ſyllabam ex tribus vocalibus. Qvintilian. lib.1. cap.5. Non poteſt,inqvit,fieri ſyllaba ex tribus vocalibus: niſi aliqvæ officio conſonantium fungantur.

Priſcianus pag.35. Nulla ſyllaba tres vocales habet. Terentianus: ſyllabam nec invenimus ex tribus vocalibus. Atq; hoc non de lingva Latina tantum, ſed de omnibus omnino intelligendum eſt. Una enim & eadem eſt omnium lingvarũ hac in re ratio. Qvod ſi autem ex tribus vocalibus ſyllaba fieri neqvit: multo minus ex qvatuor fieri poterit.

Atq; hinc etiam fit,ut inter ejjuſdem lingvæ Grammaticos avtores,in doctrina diphthongorum tradenda, ſumma ſit varietas & diſſentio. Unde maxima lingvas eas ex libris diſcendi difficultas exiſtit. Ut ergo hoc incommodũ conſpiciatur: doctrinam diphthongi, ut ab aliqvot Grammaticis lingvarũ qvarundam populariũ,tradita eſt,hîc ſubjiciam. Et ſimul oſtendam, in nulla earum Lingvarum Diphthongum ullam eſſe.

DOCTRINA DIPHTHONgorum & triphthongorum lingvę Italicę, ex Grammatica Scipionis Lentuli Neapolitani.

SCipio ergo Lentulus Neapolitanus, in ſua Grammatica lingvę Italicę, doctrinam diphthongorũ ejjus lingvæ, ita tradit pag. 31. Qvod, inqvit, ad vocales attinet, illud ſciendũ eſt, eas coaleſcere in diphthõgos. Qvæ ſunt.

Av. *Avra, lavra, Mavro.*
Ev. *Evro, ſchevro, ſimplex & ſeparatò.*
Je *Vjene, venit, bvjeve, tjene tenet, jeri heri, pjeno plenus, fjéno fęnum.*
Ja *Cjancjare garrire. Cjance nugæ, bjanco albus, caccja venatio.*
Jo *Fjoro flos, Sjocco ineptus, Scjolgo ſolvo, Scjoperáto ceſſator.*
Ju *Cjurma turma, ſchjuma ſpuma, pju plus, gju deorſum.*
Jvo *Figljvólo filius, Gjvoco jocus ludus.*
vo *Hvomo homo, vopo opus, vovo ovum bvono bonus, cvoco cocus.*
vi *Gvida dux, pjacqvi placui, aqviſto acqviro, qvinto qvintus.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ve *Pjacqve placuit, acqve aqvę, adunqve igitur, lingve lingvę.*

va *Acqva aqva, lingva lingva, gvadagno lucrum.*

Aj *Faj facis, ſtaj ſtas, amáj amavi, laj lamentationes, fataj facies.*

vaj *Gvaj vę, vel ęrumnę & miſerię.*

Jej *Mjej mei.*

Ej *Lej ea, coſſej hęc, ſej es.*

voj *Tvoj tui, ſvoj ſui, bvoj boves, vuój vis.*

Hęc Scipio. In qva doctrina, primum diphthongi & triphthongi confunduntur. Deinde diphthongi plures qvam Latinę numerantur: Aliæ enim cum Latinis conveniunt ex jod & vav ſeqventibus nempe aj, ej, av, ev. Alię à Latina conſvetudine, qvę hîc maximè ſeqvenda fuerat, propter lingvarum duarum tanq; matris & filię cognationem, abhorrent, ex jod & vav pręcedentibus, nempe ja, je, jo, ju, & va, ve, vi, vo. Triphthongi qvatuor recitantur. tres ex jod & vav, vel conjunctis jvo, vel diviſim poſitis, vaj, voj, una ex gemino Jod, vocali media diviſo JEJ.

Πόϱισμα.

Qvare in his omnibus diphthongis qvidem

dem

dem altera eſt vel jod vel vav. Triphthongis autem vel jod vel vav ſimul eſt vel geminum Jod, ac nihil proinde diphthongi eſt.

DOCTRINA DIPHTHONGORUM & TRIPHTHONGORUM lingvę Gallicę, ex Grammatica Joannis Piloti Barrenſis.

IN lingvę Gallicę & Germanicę Grammaticis, majjor eſt hujjus doctrinę confuſio, & inter ſcriptores Grammaticę, diverſitas & diſſentio. Et hîc etiam diphthongi impropriç factę ſunt. Ac in lingva Gallica maxima confuſio eſt. Ut enim totius lingvę ſcriptio redundantium & qvieſcentium, ut vocant literarum turba & pleonaſmo, & qvarundam Enallage onerata, impedita & obſcurata eſt: Ita etiam in hac lingvę parte, factum videtur.

Joannes ergo Pilotus Barrenſis, qvi primus juſtam Grammaticam ejjus lingvę collegit, hanc doctrinam ſic tradit pagina 2.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Ex vocalibus,inqvit, fiunt diphthongi potiſſimum novem aj vel ay(utriq; enim una & eadem eſt poteſtas,uti etiam antè dictum eſt) ut fajre facere, jeſeray faciam, ayder adjuvare, ajderay adjuvabo, payament ſolutio.

Av ut *Avthevr avthor, havlt altus , cavlt cavtus, il favlt oportet.*

ej ut *pejne pęna, fejndre fingere, cejndre cingere, ung cejl d'oejl, nictus oculi.*

ev ut *fev ignis, flatevr aſſentator, victorievx victor, furievx furioſus.*

Oa ut *poale hypocavſtum.*

Oe ut *moële medulla. Sed ſono ferè convenit cum ſeqvente : niſi qvod ore magis diducto pronunciatur.*

Oj vel oy ut *la foy fides , une ſojs ſemel, le foye hepar, vojx vox, voye via , povrqvoy qvamobrem, je cognojs cognoſco, mojns minus, ung vojle velum.*

Hæc habet ſonum breviorem & rotũdiorem qvam ſuperior.

Ov ut *movlt multum, ov ubi, ung covcov cuculus, vovs vos, novs nos.*

Uj vel uy deſtrujre deſtruere, lavajct nox, nujre nocere, vuyder evacuare, ung muyd modius, ung huyſſjer accenſus vel optio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

De Diphthongorum aj ay,ej,proprietate.

Aj,ay,ej,conſimilem ſonum habēt & eum fermè,quem hęc Latina diphthongus æ, vel Græca ει quondam habuit. Quo fit ut multis in locis aj,ay vel ej ſcribatur ſine diſcrimine.ut in hujjuſmodi verbis pejndre pingere,attejndre attingere, cejndre cingere, vel hoc modo. Pajndre, attajndre non tamen cajndre.

De Diphthongorum oj vel oy origine & proprietate.

Oj vel oy mutuati ſumus à veteribus Gręcis. Quorum priſcam & genuinam pronunciationem nempe ex o & j provenientem etiam nūc retinemus. Cum iis,qui nunc Gręce loquuntur, præterquam typographis, ſonet ut ſimplex jota.

Oe ab illis etiam accentu, non tantum ſono differre videtur. Hęc enim enunciari ſolet productiori voce, & ore magis aperto,ut antea dictum eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Je aliqvando eſt diphthongus.

His, ſi libet, adde Je. Nam ex his duabus vocalibus, plęrumq; fit unus ſonus, & una ſyllaba. ut in iis dictionibus, qvę deſinunt in jen, veluti mjen meus vel meum, tjen tuus vel tuum, ſjen ſuus vel ſuum. ung chjen canis, rjen nihil, Chreſtjen Chriſtianus. Il contjent continet. Une corbejlle corbis, mejlleur melior vel melius. Sępe tamen utriqve ſuus tribuitur ſonus, ut audacieux audax, furieux furioſus, ljeſſe lętitia.

De Triphthongis.

Ex vocalibus fiunt etiam triphthongi, qvod noſtrę lingvę eſt propriũ & peculiare.

eay ut ung geay, graculus.

eau ut beau pulcher, bellus, veau vitulus, anneau annulus, muſeau rictus.

oej ut oejl oculus, doejl dolor.

uej ut cuejller cólligere, orguel ſuperbia, dueil dolor.

oeu ut coeur cor, oeure opus. Saeur ſoror, veux vota.

ueu ut gueux ganeones, homines nihili, gueule gula.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

jev vel yev, ut Djev Deus, yevx oculi, ljev locus, mjevx melius, vjevx vetus.

ovj vel ovy ut movylljer madefacere, ovy etiã povillevx pedicoſus, ung menton povillevx mentum pedicoſum, ſe ventroviller toviller volutare ſe.

Has, & ſi quę præterea ſunt ſimiles, voco triphthongos: Quia ex tribus, ut diphthongi ex duabus vocalibus in unum coëuntibus, fiunt, & unus ſonus unaq; ſyllaba conflatur. Quod ſi ſynęreſeos contractionis, aut improprię diphthongi appellatio cuiquam magis arrideat: de lana caprina cum nemine rixabor: dum modo res ipſa intelligatur. magis tamen judicio meo quadrabit impropriæ diphthongi appellatio illis: in quibus una ex vocalibus opprimitur, ut ſunt:

Ea. ut je mangeay comedi, tu mangeas comediſti, tu nageas navigaſti, novs nageaſmes navigavimus.

Eo. ut novs nageons navigamus, novs mangeons nos comedimus ſev mandimus.

Ve. ut la langve lingva, quel qualis, quãd quando.

Sed omittendũ nõ eſt oej nihil à uej triphthongo: quemadmodum nec oev à vev ſono

diſſentire, & plerumq; ſine diſcrimine ſcribi.

De e & i conjunctis vocali extra diphthongum.

E & I omnium freqventiſſimè in diphthongis reperiuntur. Sępiſſime etiam aliis vocalibus cohęrent: nec tamen cum iis in diphthongum coaleſcunt. Qvod cum ſit: ſupra notantur duobus apiculis, hoc modo: la veüe viſus, laqveüe cauda, pais diſſyllabum eſt, regio vel patria, pajx monoſyllabū eſt pax.

Ea qvę gemino puncto afficitur, per ſeſe ſyllabam efficit. Qvod nec in aliis nec in his ipſis, ſi priorem locum occupant, fieri ſolet. ut geölier commentarienſis veäultrer volutare.

Illam autem rationem diphthongos diſſolutas, vel vocales conjunctas, nec tamē diphthongum conficientes, notandi, deſumptam ex Gręcis eſſe, patet ex illorum Grammaticis. Hactenus Pilotus. In qvibus ut apparet: ipſe ſibi nō ſatisfacit: & an omnes diphthongos & triphthongos recitarit, ipſe dubitat. Et ipſemet indicat, non omnes ita ſonare, ut ſcribuntur: præſertim improprias diphthongos. In qvibus altera opprimatur & qvieſcat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſcat. Quę proinde diphthongi non ſunt.

EX GRAMMATICA Joannis Garnerii.

Joannes autem Garnerius, qui poſt Pilotũ annis aliquot, Grammaticam Gallicę linguę brevius conſcripſit, diphthongi etiam doctrinam brevius concepit. Et prętermiſsis diphthongis impropriis & triphthongis, multò pauciores diphthongos Gallicas fecit: nempe tres tantum: Tres, inquit, diphthongos præcipuas habent Galli: nempe ay oy & oe. Quas omnes per ſimplex e communiter efferunt, ut mayſon, orayſon, foy, loy francoys, Angloys, coeur, oeil, oeuures. Atque utinam ſcriberentur, quemadmodum proferuntur: ſic meſon, oreſon, foé, loe, frances &c. At uſus non patitur.

Cęterum av, ej, au, ou & ui, quanquam diphthongi ſint: inter diphthongos non numero: Quoniam ita efferuntur ut ſcribuntur: Dicimus enim feu, eau, pejne, jour & nujt: auiourd'huy j'ay eu grand' pejne: la nujt n'a pojnt de honte. Item les richeſſes, de l'eſprit ne peuuent perir, ne par feu, ne par eau, &c. Hæc Garnerius.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Cujjus doctrina quantum à Piloti diſſentiat, per ſe apparet. Et ſi Garnerio credimus: nulla eſt diphthongus Gallica. Ipſe enim docet tres præcipuas eſſe diphthongos ay oy & oe. & has tres omnes ſonare cõmuniter tantum e ſimplex, id eſt, vocalem. Ergo nulla earum eſt diphthongus. Reliqvas diphthongos eſſe affirmat: & tamen inter diphthongos non numerat. Ubi, avt prius falſum eſt: id eſt non ſunt diphthõgi reliqvę: avt Garnerius perperam diphthongos nõ appellat, qvæ ſunt diphthongi. Hę avtem ſunt av, ej, ev, ov, & vi. In qvibus omnibus altera eſt jod avt vav: Ac nulla proinde diphthongus eſt.

EX GRAMMATICA Antonii Cavcij.

POſt Pilotum & Garnerium, Grammaticam ſcripſit Antonius Cavcius. Is igitur quantum à Piloto & Garnerio diſcrepat, ex ipſa doctrina ipſius apparebit. His certè perfectius & accuratius rem explicare conatus eſt: & multo proinde prolixior factus eſt, plures & diphthongos & triphthongos: magisq; varias propoſuit. Et dum exactè omnia addicere lectori, imperito linguæ Gallicę, conatur:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

natur: penè hoc ipſum, qvod hîc agimus, imprudens oſtendit. Sed qvia id non vidit, ipſe in qvibuſdam perplexus hęret. Is ergo ſic ſcribit pag. 26. in exemplari Antverpienſi.

Vocalium multiplices nexiones diphthongig; ſunt. Qvarum alię mixtę, alię diſtinctę, alię improprię nominari nō ineptè poterūt.

Diphthongi Mixtæ.

Hę ſunt, qvę ſonum qvendam mixtum & ex duabus vocalibus concretum ſev conflatum efficiunt, ut:

Aj. pajer alicui ſolvere, pajant ſolvens. ajant habens, pajlle palea, majlle obulus.

Av. cavſe cavſa, favte favtor.

Ej. vejne vena, pejne pęna, vejller vigilare, nejger ningere.

Ev. hevre hora, avtevr avtor.

Oj. mojns minus, mojndre minor, pojndre pugna.

Ov. novs nos, vovs vos, tovs omnes.

De aj.

Hęc diphthongus de ſuo ſono plęrumqve ante conſonantes decedit. Et qvidem ſeqvente M, vel N in ej degenerat. ut qvi à faim,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

mange bjen dupajn. Id eſt: eſuriens etiam pane veſcitur: une majn manus: majn tjen, geſtus. Alias eo modo qvo Grȩca diphthongus, vulgo redditur fajre facere, plajre placere. najſſance nativitas. majſon domus familia. neceſſajre neceſſarius, rajſon ratio, ȩqvum. Majtre vel majſtro dominus, herus, chajr caro. Qvò ſpectãt & hȩc amajr, chajr, qvȩ iam ſcribimus ſic: amer amarus, cher carus.

In terminatione effertur propè é ab aliis pavlo mollius: ut ad ej videatur accedere: Non feraj non faciam. Si feraj imo faciam. Jeluj diraj dicam illi, jele feraj id faciam, tantqve vevraj qvamdiu vivam.

De av.

Hujjus geminus ſonus cum refert, qvem docti Grȩcorum ω tribuunt. Ideoq; nonnulli u reiecto, ſubſtituunt o hoc pacto ao. vulgus porro nulla habita originis ratione, dum voces auditas literis exprimere conatur: ſolo o utitur, pingitq; in tabulis ocerſ: oltond' or: o pot d'vſſajn, &c.

Nam hanc diphthongum efferentes, videmur potius o qvoddam longum, qvam av, ut in avtor ſonat, pronunciare: & rotundiore

ore

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ore exit: qvam Belgę avtumant. Qvi noſtram ſcripturam ad Latinam, qvantum poſſunt, accommodant.

Sed ut qviſq; intelligat, cur hac in re multitudinem imperitam ſeqvar: proponat ſibi receptam ſcribendi conſvetudinem in vocibus orejlle avris, or avrum, & ſimilibus: & tum comperiet me rei veritatē, & doctorum judicio potius qvam vulgi opinione avt exemplo moveri. Hic enim negligitur derivatio à veteribus obſervata.

Qvod ſi tamen conſvetudo mutari ęgrè poteſt: & qvod volo, minus recipitur, non laboro, ſectare vetuſtatem, prę ſentibus utere: ita tamen ut vocibus noſtris germana prolatio maneat: præſertim in hac diphthongo, qvę ab o non multum diſtat, rotundumqve ſonum conſtituit. Rojame regnum, heavme galea, pavine palma manus, mavvajs avtevr, malus avtor, beavcoup de mavx multa mala.

De ej.

Conſtans eſt hęc, ſed velim ſtudioſum nō ignorare qvod i ante u, eodem modo reddatur. Qvod fit propter obtuſum ſonum illius conſonantis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

De ev.

Pronunciatur ut evrus, pevr timor, flevr flos, mevrtre cędes, hevrevx fęlix, flatevr adulator, mentevr mendax. Simplicius in vocum calce exit, nempe ac ſi e abeſſet: je ne l'aj pev trojs ver: non potui illum invenire, je ne ſcev jamajs cela, nunqvam id ſcivi. je croj l'avojr. vev & cognev, id eſt, credo me illum vidiſſe & cognoviſſe, &c. In his e non exavditur, ſed ſimplex u. Qvo fit ut rejiciatur à verę orthographię ſtudioſis: j'ay puſu, vu, conu, qvorum alia facilius, alia difficilius uſus conſignabit.

De oj.

Poteſtas legitima hujjus nexionis cernitur in lojal fidus, rojal regius, mojns, lojn, minus longè, ſojng cura, beſojn neceſſe, cojn angulus. Atqve ita qvidem ſemper ante N, niſi qvod rojne profertur, ac ſi ſcriptum eſſet rejne regina. Alioqvi ante alias conſonantes, atqve etiam in dictionis fine ſonum ex o & e compoſitum producit, ut Gavlojs Gallus. Anglojs Anglus, mejſſon meſſis, pojſſon piſcis. Roj Rex, loj lex, moj, toj, ſoj.

De ou.

Aeqvipollet Gręcorum ȣ vel Germanico ü,

co u, ut ou, ubi quo? un coucu, alias cocu cuculus, louage locutio, louange laudatio.

Adnotatio.

Præmiſsis addi poteſt & oe, ut moelle medulla, coeffe vita crinalis. Sed & cojffe leges.

In poſitarum numero, diphthongi ſunt: quæ ſuam prolationem non ubique retinent mixtam, ut patet ex dictis, & his, fajre, ille vejt venjr, vidit eum venientem, & ne l'a pas cogneu & non vidit, ubi aj pro e, ej pro i, eu pro u eſt. Sed eatenus non mixtæ, ſed impropriæ dicentur.

Notari etiam debent mutabiles quædam, dicimus enim pleurer & plourer flere: demourer & demeurer ex verbo demoror fleurir & flourir. Qualia ex inflexionibus verborum exempla peti poterunt, ut ab infinitivo & thema couvrir, fit præſens je couvre vel je coeure cooperio: ab ouvrer formatur præſens j' euvre & j' ouvre operor. Etſi ab ouvrer aperire, trahi queant. Sic à themate mourir ducitur præſens je meurs morior.

Vetuſtas uſurpavit coulour, doulour, languor, pro couleur color, douleur dolor, langueur, languor.

Diphthongi diſtinctę.

Diphthongum diſtinctam nomino, cum duę vocales in ſyllabam ita cadunt, ut utraq; breviter, integrè, clarè diſtincteq; exaudiatur. Ejjus generis ſunt:

ea. ut eage, olim aage, nunc age priore longa ętas. Neant nihil, neant mojns nihilominus.

Ja. Djalbe Cacodæmon, amicordjal amicus ex animo, verus, ouj Dja, etiam per Jovē: Non dia avt dea. Gręcis μὴ Δία.

Je. mjen meus, tjen tuus, sjen ſuus, chjen canis, fjer ferox, ſjevre febris. rjen nihil, ex nomine res.

Ju. pjuler pipilare, le trjule d'un pujs ſucula.

Va. diſſvader diſſvadere, perſvaſion perſvaſio.

Ue. muet mutus.

Uj. pujſer d'un puj, havrire ex puteo. Ce mur ſe per tujſe, hic murus ruinas agit: la nujt nox, pujs quę, je pujs pujſer à la fontejne je laſſeras es rujſſeavx. Quandoqvidem è fonte havrire licet, rivulos miſſos faciam.

Vides vocales in diphthongis mixtis prępoſitas

poſitas hîc poſtponi. Atq; harum aliqvas ex puris prępoſitivis conſtitui.

In poſitas diphthongôs Annotatio.

Ex vocalibus ejjuſdem ſpeciei, diphthongus non conficitur. Qvod ex iis nec compoſitus, nec geminus & diverſus ſonus oriri neqveat, ſed tantum ſimplex productus. Itaqve omittetur altera in aage ętas: ſeeller conſignare, & roole, & relinqvetur altera producta.

Diphthongus I finiens ſeqvente vocali, hactenus i cum y commutavit, ne i crederetur eſſe conſonans: verum iam nihil opus eſt aſſumi y, cum i ſemper vocalis naturam tueatur, & j conſonans ſemper maneat.

Qvoties porrò vocales concurrunt, qvales in mixtis & diſtinctis diphthongis propoſuimus: non ſtatim ſeqvitur ibi diphthongum eſſe. Sunt etiam hęc diſſyllaba:

Pais patria, regio, lier ligare.
Hair odio proſeqvi, un lien vinculum.
Geant gigas, fier fidere.
Neant negans, nous nions negamus.
Nier, negare.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Idem in vocalibus plurium ſyllabarum deprehendes, ut obeïr obedire, poëte poëta, heroïqve heroicus, traïſon proditio, ubi interjectum fuit h mutum trahiſon: Qvo melius intelligeretur diphthongi reſolutio. Eſt enim diphthongus in voco trajtre ſive trajſtre traditor Italis, Latini proditorē vocant.

Sed & Poëtę, vocales, qvę natura in diphthongum coaluerunt, reſolvunt, dicentes an-ci-en vi-o-let. Et contra per craſin liberas vocales in diphthongum cogunt diſſyllaba facientes, poëtę trajſon.

Diphthongi improprię.

Impropria diphthongus eſt, in qva altera tantum vocalis avditur: alterra ob characterum penuriam, & inconſtantem conſonantium vim, avt fortè etiam deductionis superſtitionem aſſumpta eſt. Hujjuſmodi reperiuntur poſt c & g. ut

Ea. nageant natans, mangeant edens, tu mangas du mejllevr & me chargeas du pire: dommageable detrimentoſus, a, um, vous jugeates mal, judicaviſtis malè.

Eo. Nous nageons natamus, nous mangeons mādu camus, nous iugeons ce qve nous vojons, judicamus qvod videmus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Eu. ut deceu pro decu deceptus, veu pro vu viſus.

Ue. longue longa, unguent unguentum.

Ui. une guide itineris dux, languir languere.

Qui gavir pro garir, id eſt, curare ſeu ſanitati reſtituere pingunt: non habent, quo ſuum errorem tueantur. Alia ratio eſt in guerer. Sunt & cacographi quidam: qui nihil verentur obtrudere nobis ſuas ſordes & ineptias, ſcribentes yuurougne ſeu iuurogne pro ivrogne, id eſt, ebrietati deditus.

Oa. Huc poſſet referri, quatenus o tacetur. Nam quidam pronunciant pâle hypocavſtũ: cum plerīq; ſcribūt poale avt pouale.

De Triphthongis.

Non contenti diphthongis, triphthongos formavimus, tres vocales in unam ſyllabam cogentes. Fiunt avtem addita vocali ad diphthongum mixtam, & ſunt avt proprię avt improprię.

Triphthongi proprię.

In his, vocalis diphthongum antecedens pronunciatur. Cujjus generis ſunt:

Aou. ut le mojs d'aouſt menſis Auguſtus unde & verbum aouter, quod quia meſſis in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

eum menſem ferè incidit: meſſem facere ſignificat. Superſtitione qvadam vetuſtas imbuta, exaravit paour, ut à Latino pavor nihil diſtaret: eſſentqve tantummodo literę tranſpoſitę. iam peür timor, metus, pingimus. Qvemadmodum povre pavper ſcribimus Etſi veteres modo paouure modo pauure avt pauure probarint.

Eau. beau pulcher, veav vitulus, fourreav vagina, couteav culter, manteav pallium, marteav malleus, vulgus Burgundionum omittit e, violæ un bav chatav.

Jau. ut mjavler felinam vocem edere.

Jeu. ut Djev eſt en tont ljev. Deus eſt in omni loco. Cjevx cæli, mjevx melius, jevx oculi.

Oua. ut un povale hypocavſtum. Qvidam malunt poale, aliis placet pale.

Oue. machoueres malæ, fouetter flagellis cædere.

Triphthongi impropriȩ.

Triphthongus impropria eſt, cũ ad diphthongum mixtam adiicitur vocalis ſoni expers: qvę e avt g efficiat: avt originem vocabuli inſinuet, ut

Oeu.

Oeu. coeur, cor, ſoeur ſoror, moeurs mores, oeuare opus.

Ueu. Hęc ſuperiori ſimilis eſt, nam & u pro o ſcribi in qvibuſdam poteſt, ut cveur cor, vajncueur vel vajnqvevr victor. ſed poſt g communiter u exaramus, longvevr longitudo, vigvevr vigor.

Uie. ut gvjeres pro gveres Adverb. utrumqve enim dicitur.

Superſunt jam tres alię triphthongi, qvas qvo loco reponam neſcio. videntur enim tanqvam per accidens fieri. Qvia videlicet L molle ſeqvitur: cui ferè ſemper i pręfigimus verum hîc illas expediemus. Itaq; ſunt:

Ovj. ſovjller fædare, movjller madefacere, rovjlle rubigo, quenojlle colus, grenoujlle rana.

Oej ut oejl oculus, doejl luctus, pro qvibus leges duejl & vejl ſed hoc poſterius abſolevit.

Uej. cum ſuperiori ſono convenit, ut recueil epitome. Il m' a fajt bon recueil benignè me excepit, orgueil ſuperbia.

Hęc Cavcius. Qvę qvaſi indignabundus ſcripſiſſe videtur: nec ipſe ſibi ſatisfacit. Et de vitioſa ſcriptione, qvam corrigi poſſe Garnerius etiam optat, conqveritur. Et qvo diligen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

tius conſvetam ſcribendi rationem colligere & explicare conatur, eo magis vitium ejus prodit: & difficultatem oſtendit. Atqve hîc apparet qvam ſit error fęcundus. Hîc enim diphthongus, & diphthongi opinio, peperit diphthongos mixtas, diſtinctas, improprias, & triphthongos proprias, improprias & ancipites. In qvibus plęriſq; diphthōgi nihil eſt.

Ut avtem intelligamus qvantum hęc doctrina à veritate abſit: ei doctrinam Petri Rami opponamus. Qvi in ſua Grammatica, veros & nativos lingvę patrię ſonos proponere & vera & legitima ſcriptura exprimere conatus eſt. Qvanqvam nec ipſe errorem vitare potuit.

EX GRAMMATICA Petri Rami.

IS ergo cum poſt illos ſcripſiſſet, vitioſa conſvetudine relicta, & ad ipſum lingvę uſum & pronūciationem genuinam, cui ſcriptio meritò ſervire & reſpondere debet, reſpiciens, & logica ſua falce utens, luxuriem illam diphthongorum immenſam reſecuit: & multo proinde pavciores propoſuit. Qvi capite qvinto pagina trigeſima ſexta ſic ſcribit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

bit. Qvantum ego qvidem Gallica aſſeqvor.

Syllaba eſt unius ſonus integer & poteſt eſſe in una ſola litera, ut in una vocali: poteſt etiam eſſe plurium literarum vocalium aut conſonãtium. Syllaba autem duarũ vocaliũ dicta eſt diphthongus: nimirum unus ſonus duarum vocalium in una ſyllaba comprehenſarũ, ita ut ſeqvitur in vera ſcriptione.

Prima eſt aj, ut in pajant ſolvens, gajant gaudens, ajdant adjuvans. Nos habemus unam diphthongũm ex a & ȣ, qvam nos ſcribimus per aou, ut in hac voce Aouſt: qvi eſt Latinè menſis Auguſtus. Sed eſt in iſta ſola voce. Qvę pronunciatur tamen hodie penè per ſimplicem vocalem ut ȣſt. Neqve opus eſt propter unam vocem facere unam regulam. Hęc diphthongus eſt magis uſitata Latinis: ut in his vocibus: autor audio augeo, ubi prima ſyllaba debet pronunciari, ut in auſt.

Secunda diphthongus eſt ea. ut capęa galerus, mantęa pallium. Qvę nos ſcribimus cappeau, manteau.

Tertia eſt ej. ut in pejne, fontejne, fejndre, pejndre, cejndre.

Qvarta eſt je. ut in fjel, mjen meus.

Qvinta eſt ję. ut, dję lję.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Sexta eſt oe. ut in moe toe. Quę ſolet ſcribi peregrino more moy toy. Nam y nõ prorſus hîc ſonat ſuam poteſtatem. Quod eſt vitium contrarium Anglis, qui pronunciant e per i, cum dicũt bi, ci, di, quę nos dicimus be, ce, de.

Septima eſt oj. ut in mojnde, pojndre, cojn, ſojn. Quę eſt voce uſitata in noſtris participiis voyant, oyant, lar moyant, ſouldryant, & in aliis dictionibus, ut lojavlx, rojavlx.

Octava eſt ui. ut pujs Nujre. Quę eſt & jam ſępè in noſtris participiis & verbis.

Quare ergo ſcriptura vulgaris noſtra repreſentat mirabiles illas triphthõgos, ut eau, iei, ieu, oei, oeu, vei, ueu, in beav, vejllart, djeu, ſeillade, voeu, mouiller. orgueil, gueule. Hę ſunt grande prodigium in Grammatica, ſed hoc prodigiũ noſtra voce refutatur. Quę non pronũciat ullã diphthongũ in talibus ſonis. Itaq; noſtra lingva habet octo veras diphthongos: quę ſunt in vera ſcriptura ſic:

Aj Pajant, ajdant.
ęa capęa, mantęa.
e'j fejndre, pejndre.
je' mje'l, vje'lart.
je Dje, lje.
oé moé, toé.

oj.

oj. mojndre, pojndre.
uj. pujs, nujre.

Cęterę avtem in vera ſcriptione ſic ſcribendę ſunt vę mȣ ler, elade, orgel, Gele.

Diphthongi aj & ej ſępe mutantur in ej & ju. ut in his vocibus: E'jmer, fe'jrę, dju, lju. Qvę nos ſcribimus ajmer, fajre, djen, ljen. Aj avtem mutatur etiam ſępè in e, ut ajmer ai feraj, ubi nos proferimus eimęre, ferę: faciam. Qvod idem eſt qvod diximus de au, eu, ou mutatis in ſimplices vocales, a, e, ȣ, & de aou in ȣ. Hæc Ramus.

Sed in his diphthongis, qvas Ramus recitat dvę ſunt qvę animadverſione indigent: nempe ęa & oe. In his enim ſi e ſonat, neceſſe eſt ut Jod ſonet, & pro Jod ſcriptum ſit, ut in Latinis æ & œ. Unde & poſterior à Cavcio & Beza, qvi hoc anno tractatum de Francicę lingvę recta pronũciatione edidit, prętermittitur, & ſub oi comprehenditur. Et Ramus ipſe indicat etiam Moy & Toy ſcribi, id eſt, moj & toj. Sicut loy lex, foy fides. Roy Rex vel loj, foj, roj, In ęa avtem, ę pro Jod ſcribi videtur: Qvod Jod ante vocalem a, craſsiorem, qvam Germani & nos gemino aa exprimimus, craſsius ſonet: & ad ſonum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

vocalis e inclinare videatur. Atq; ita in omnibus diphthongis lingvę Gallicę, altera jod conſonans erit. pręcedens ut in ja, je, je, quę à Latinis diphthongis diſcrepant: ſequens verò ut in aj ej oj uj.

Πόρισμα.

In lingva ergò Gallica nulla eſt diphthongus.

DOCTRINA DIPHTHONgorum,&c. lingvę Germanicę ex Grammatica Alberti Oelingeri.

ALbertus Oelingerus Argentinenſis primus ante annos decem, Grammaticā lingvę Germanicę conſcribere aggreſſus eſt. Qvi cum Gallos magna ex parte imitatus eſſet: non ſolum triphthongos, ſed etiam tetraphthongos, propoſuit. Is ergo hanc doctrinam ſic tradit pag. 2.

Ex vocalium, inqvit, coniunctione, fiunt diphthongi, triphthongi & tetraphthongi.

Dividuntur in proprias & impropias.

Proprię diphthongi ſunt octo, ä vel aͤ/ ö vel oͤ/ ue *vel* u *vel* uͦ/ üe *vel* uͤ/ aj *vel* ay/.

ay/**ej** *vel* **ey**/**au** *vel* **aw**/**eu** *vel* **ew**.

Improprię diphthongi ſunt ſeptem, **aa**, **ee**,**oo**,**ie** *vel* **ye**,**oi** *vel* **oy**,**ou** *vel* **ow**,**üw**.

Proprię triphthongi ſunt duę: **aͤu** *vel* **åů**,**őu** *vel* **o͛u**.

Improprię triphthongi ſunt qvinqȝ **auw**, **euw**,**üew** *vel* **ůw**,**aͤi**.

Omnes tetraphthongi improprię & duę tantum ſunt, **aͤuw** *vel* **åuw** , **őuw** *vel* **o͛uw**. *Hęc Oelingerus.*

Ipſe verò deinceps de triphthõgis impropriis & tetraphthongis ſic ſcribit pag.14. In triphthõgis impropriis, vel **u** *vel* **w** *ſuperfluum eſt, veluti* **das neuwe**,**der tauwe**, **die Kuwe**, **die ruwe**, *melius* **newe**, **tawe**,**Kue**,**ruhe**.

Sic & in tetraphthongis videlicet, **die Beuwrin**, **die trouwm** *pro* **Bewrin**, **trewm**,*vel* **Båwrin tråwm**. *Ex ſententia ergo Oelingeri tollantur triphthongi improprię & tetraphthõgi. In reliqvis diphthõgis qvidẽ propriis*: **aͤ** *vel* **å**,**oͤ** *vel* **o͛**,**u** *vel* **uo**, **üe** *vel* **ů**: *Impropriis vero* **aa**,**ee**,**oo**,**ou** *vel* **ow**,**uw**,*vocalis una tantũ ſonat. In reliqs altera ſemp̱ eſt jod vel vav. jod ſeqvẽs in* **aj** *vel* **ay**,**ej** *vel* **ey**,**oj** *vel* **oy**,*pręcedẽs in* **je** *vel* **ye**,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

vav ſeqvens in **au** *vel* **aw/eu** *vel* **ew/aͤu** *vel* **aͤu,őu** *vel* **oͤu**. *Qvare hîc nulla diphthongus eſt.*

EX GRAMMATICA Johannis Clajji Hirtzbergenſis.

Johannes Clajjus Hirtzbergenſis poſt Oe*lingerum Grammaticam Germanicã ſcripſit. Et accuratius & brevius rem ſubduxit & hanc doctrinam tradidit pag. 3.*

Ex vocalibus, inqvit, fiunt diphthongi, **au/aw/eu/ew/ei/ey/ai/ay/ie/aͤ/oͤ/uͤ/ui/** *ut* **lauffen** *currere,* **ſchawen** *ſpectare,* **keuffen** *emere,* **frewen** *gaudere,* **wein** *vinum,* **frey** *liber,* **waiſe** *orphanus, ſeu pupillus,* **hayn** */ lucus,* **thier**/ *beſtia,* **waͤhnen** *opinari,* **Koͤnig** *Rex,* **wuͤſte** *eremus,* **hui** *age.*

Hęc Clajjus. In ejjus ergo diphthongis **aͤ/oͤ/uͤ/ie** *ſimplex vocalis eſt. In aj,ay,ej,ey,uj, jod ſeqvitur. In* **au/aw/eu/ew/** *vav ſeqvitur. In ui pręcedit.*

Πόρισμα.

Ergo in lingva Germanica nulla eſt diphthon-

thongus. Neq; ergo in Italica, neqve Gallica, neq; Germanica diphthongus eſt.

Qvamvis autem nulla vel in his lingvis vel aliis, diphthongus ſit: tamen ex diphthongi opinione, & commento, tam multa commenta, diphthongorum propriarum & impropriarum, mixtarum & diſtinctarum: triphthongorum propriarum, impropriarum & ancipitum. Deniq; tetraphthongorum impropriarum, nata ſunt. Atqve hactenus de Ellipſi figurarum duarum conſonantium, Jod & vav: & ex ea natis incommodis.

FINIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

QVod ſi, Lector, hic labor tibi non diſplicuerit: brevi ab eodem avtore alia ejjuſdem avt melioris notę expectabis. Monendus pręterea nobis es, nos ab initio hujjus operis non obſervaſſe figurã Diphthongorum ae & oe, qvas avtor unica iſta ę exprimi voluit, donec deprehendiſſemus ex capite, qvo de illis agit, pag. 184. ubicunq; igitur notas æ vel œ vel Ae vel AE reperies, in locum earum Ę ſub-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

ſubſtitues. Si qvid prȩterea (ut non dubitamus) prȩſertim in diphthongis lingvarum peregrinarum , peccatum eſt, non tam nobis, qvàm avtographo, à qvo ne latum qvidem unguem in re iſta nova diſcedere voluimus, culpa eſt adſcribenda.

Vale.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1115 8° copy 3